DAD AUTÓNO
CIÓN GENERA

VIATOR

CHRISTI.

BX1970
.K7
1782
c.1

1080043276

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

E4H C4 97
243

# VIATOR
## CHRISTIANUS
## IN PATRIAM
## *TENDENS*

Per motus Anagogicos.

AUCTORE
R. P. Fr. *ANTONIO*
*Krzesimowski, Benedictino*
*Cisterciense, Congregationis Polonæ.*

*Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino. 2. Corinth. 5.*

MATRITI:
Ex Typographia Blasii Roman.
Anno Domini. 1782.

110547
38001
UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

BX1979
.K7
1782
CAPILLA ALFONSINA
FONDO BIBLIOTECA PUBLICA
DEL ESTADO DE NUEVO LEON
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UANL
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# MARIÆ DEIPARÆ

Serenissimæ, Cœli, terrarumque Reginæ, ter optimæ, ter maximæ Imperatrici.

## AUGUSTISSIMA DOMINA.

*Opusculum hoc tenue servitutis demisissimæ, obsequii humillimi, amoris studiosissimi monumentum, supplex ad Tuæ Majestatis Aram appendo. Et ne mihi in via vires, animique deficiant, ad tuum, ò Maria, sinum, cursum hunc dirigo: quia à Sæculo non est auditum, quemquam ad tua currentem præsidia, tua implorantem auxilia, tua petentem suffragia, à Te esse derelictum. Quandiu advenæ, & peregrini sumus in regione longinqua, & procul à Patria finibus extorres degimus, ad Te omnes, ò Stella Maris, super hoc Mare magnum, & spatiosum necessario sublevata, micans meritis, illustrans exemplis, sicut ad medium, sicut ad præsidium, sicut ad portum, sicut ad negotium sæculorum respiciunt omnes viatores,*

*& qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequuntur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis. Tu Mater misericordiæ de via fessos reficis, si qui torpent, excitas, bene currentes ad cursum consummandum animas. Te sequens viator non deviat, Te rogans non desperat, Te cogitans non errat, Te tenente non corruit, Te protegente non metuit, Te ductrice non fatigatur, & ad portum pervenit. Tu igitur Mater viventium, virgo via regia, per quam ad nos salvator venit procedens ex tuo utero, tanquam sponsus de thalamo, trahe nos post Te, ut deponentes omne pondus, & circumstans nos peccatum, curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in Auctorem fidei & consummatorem, Jesum filium tuum, ut non fatigemur animis nostris deficientes, (Hebr. 12.) sed fervide & constanter sub Tua protectione cursum consumantes perveniamus ad Patriam. Ubi Tu mulier amicta Sole, gaudium omnium cœlitum, post filium tuum, illuminans universum cœlum, omnes læti-*

ti-

*tificas stellas; accendis Soles; ubi Tu Esthere felicior, formosa valdè & incredibili pulchritudine, omnium Sanctorum oculis grata, & amabilis videris, & videberis æternum decus cœli & delicium. Ubi Tu Juditha fortior, gloria Jerusalem, lætitia Israel, honorificatio populi honorificati, æternùm triumphabis. O Domina! trahe nos omnes post Te, & sicut Aquila provocat pullos suos ad volandum, ut assumentes pennas velut aquilæ, volemus, & requiescamus in monte illo, ubi felix jucunditas, & jucunda felicitas (teste Augustino) Sanctos videre, cum Sanctis esse, & esse Sanctum: Deum videre, & Deum habere in æternum & ultra. Ubi vacabimus & videmus, videbimus & amabimus, amabimus, & laudabimus.*

*Hæc vota mea & conatus, ut benignè accipias intra Sacrarium exauditionis tuæ, humillimè obsecro*

Augustissimæ Majestatis Tuæ

Minimus & indignissimus servorum,

A. K. A. C.

¶ 3 AD

## AD LECTORE.

*VIA est vita præsens, qua ad Patriam tendimus*, inquit Augustinus. Quisquis igitur es, qui opusculum hoc evolvere dignaberis, Viator es; & ideo VIATOR inscribitur, quia viam demonstrat, quam feliciter curras, & ad Patriam pervenias. Apum more varia pietatis libamenta ex piissimorum Virorum moralibus institutionibus in unum saporem elaborata proponuntur, quibus animus ferventer, & perseveranter, Deo aspirante, incumbens, ad altiora sensim elevabitur, donec potioribus gratiæ donis perfruatur. Legendus non raro libellus est, donec documenta in eo tradita bene animo percipiantur, & voluntas piis affectibus imbui possit. Utinam hæc legentibus aperiat Deus cor ad intelligendum, dispellens tenebras ignorantiæ, & sanans animi languores; ut erepti de potestate tenebrarum, ad agnitionem veritatis perducantur, & in cœlestis Patriæ beata possessione conquiescant.

D. J. F.

D. J. F.

# SISTE VIATOR.

SI IN LUCIS REGIONEM viam ducis, *Viator* te ducet *Christianus*.

EO DUCE,

NON ABERRABIS: pervenies securus.

ACCINGERE, ET EO comite, virtutibus præcinctus viam mandatorum ini.

BREVIS TIBI RESTAT VIA. Longa tibi præmia manent.

PECCATA PURGANDA, Crux ambienda, jugiter ferenda.

## DUCE CHRISTO ET LUCE

AD LUCEM INACCESSIBILEM fœliciter devenies, comite *Viatore Christiano*.

IN-

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# INDEX

## CAPUT I.

*Proponuntur quædam considerationes Viatori utiles, & necessariæ.* 1.
*Via recta ad cælum via crucis.* 4.
*Continuam mortificationem suadent nobis authoritates, & exempla.* 9.
*Compendium viæ cælestis est brevissimum per Heroica.* 16.
*Decet Viatorem semper & ubique Dei sui meminisse.* 19.
*Orationes jaculatoriæ, & motus anagogici quid sint, exemplis Sanctorum Patrum approbantur.* 25.
*Exercitium Aspirationum in via Purgativa.* 26.
*In via Illuminativa.* 28.
*In via Unitiva.* 30.
*Viatori per creaturas ad Creatorem ascendendum.* 31.

## CAPUT II.

*Praxis aspirationum, seu affectuum pro qualibet occasione, & actione.* 36.

Ac-

*Actus oblationis omnium actionum totius hebdomadæ.* 54.
*Actus gratitudinis ad finem hebdomadæ eliciendi.* 55.

## CAPUT III.

*Diarium Viatoris.* 56.
*Praxis rectæ intentionis.* 61.
*Actus matutini.* 64.
*Postulatio gratiarum.* 68.
*Actus ante Missam, vel Communionem.* 70.
*Gratiarum actio.* 71.
*Modus visitandi quotidie augustissimum Sacramentum.* 73.
*Actus diversarum virtutum.* 74.
*Actus varii pro opportunitate temporis eliciendi.* 76.
*Pia exercitia de Passione Domini ad omnes Horas Canonicas.* 78.
*In ipsa recitatione Divini Officii.* 83.
*Oratio post Horas recitanda.* 86.
*Affectus post Horas Canonicas, vel alias privatas Orationes eliciendi.* 87.
*Actus Antemeridiani.* 90.
*Ut felicius tibi succedat Meditatio.* 91.
*In ingressu Ecclesiæ.* 92.

Vi-

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*Visitando SS. Sacramentum.* 93.
*Praxis offerendi Sacrificium Missæ cum Sacerdote celebrante.* 95.
*Praxis Communionis Spiritualis.* 96.
*Actus petitionis pro statu Ecclesiæ.* 97.
*Deprecatio pro felici successu Sacræ Religionis.* 98.
*Postulatio gratiarum.* 100.
*Actus ad Virginem Beatissimam, & Sanctos Patronos.* 102.
*Devota ad V. B. commendatio.* 105.
*Pro felici morte ad B. V.* 106.
*Ad SS. Angelos, & SS. Patronos.* 108.
*Ad Angelum Custodem.* 109.
*Ad S. Joannem Evangelistam.* 110.
*Ad S. Josephum.* 111.
*Ad S. Barbaram.* 114.
*Ad S. Patronum cujus nomen in baptismate sortitus es.* 115.
*Modus honorandi quemcumque Sanctum in ejus festivitate.* 116.
*Actus Meridiani.* 121.
*Actus Pomeridiani.* 123.
*Actus Antevespertini.* 125.
*Actus euntis dormitum.* 127.
*Cum jam decumbis.* 131.
*Ac-*

*Actus brevis pro defunctis.* 133.
CAPUT IV.
*Solitudo, seu quotidiana familiaris cum Deo Viatoris conversatio.* 134.
*Meditatio I. De Beneficio Prædestinationis.* 138.
*Meditatio II. De Beneficio Creationis.* 146.
*Meditatio III. De Peccatis.* 152.
*Meditatio IV. De Morte, & circumstantiis ejus.* 159.
*Meditatio V. De Judicio Universali.* 167.
*Meditatio VI. De Æternitate.* 175.
*Meditatio VII. De Pœnis Inferni.* 182.
*Meditatio VIII. De Gloria Cœlesti.* 188.
*Motiva ad maturam & seriam conversionem Viatoris ad Deum.* 194.
CAPUT V.
*Breves meditationes de Passione Domini.* 197.
*I. Christus in Horto sudat.* 200.
*II. Christus in Horto comprehenditur.* 204.
*III. Christus apud Caipham.* 208.
*IV.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*IV. Christus apud Pilatum, & Herodem.* 210.
*V. Christus flagellatur.* 213.
*VI. Christus spinis coronatur.* 216.
*VII. Christus Crucem bajulat.* 220.
*VIII. Christus crucifigitur.* 224.
*IX. Christus clamans voce magna expirat.* 227.
*Admonitio.* 230.
*Oratio ad quinque vulnera Christi.* 231.
*Pii affectus ex vita Jesu Christi.* 233.
CAPUT VI.
*Aspirationes Viatoris pro felici morte ad Christum.* 239.
*Affectus ad Jesum agonizantem.* 240.
*Ad B. Virginem.* 242.
*Ad SS. Angelos, & omnes Sanctos.* 244.
*Homagia in vita & morte Deo præstanda.* 245.
*Desiderium bonæ mortis.* 249.
*Aspirationes morientis.* 251.
*Suspiria coram Crucifixi effigie.* 254.
*Orationes pro agonizantibus.* 256.
*Conclusio.* 258.

CA-



# CAPUT I.

## Proponuntur quædam considerationes Viatori utiles, & necessariæ.

## I.

### Omnes viatores sumus, & peregrini.

*Omnis, qui ad supernam pertinet Civitatem, peregrinus est mundi: & dum temporali utitur vita, in patria vivit aliena.*
S. Aug.

SIcut omnes, quotquot nascimur, sive pauperes, sive principes, mortales sumus; ita omnes Viatores,

A om-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*IV. Christus apud Pilatum, & Herodem.* 210.
*V. Christus flagellatur.* 213.
*VI. Christus spinis coronatur.* 216.
*VII. Christus Crucem bajulat.* 220.
*VIII. Christus crucifigitur.* 224.
*IX. Christus clamans voce magna expirat.* 227.
*Admonitio.* 230.
*Oratio ad quinque vulnera Christi.* 231.
*Pii affectus ex vita Jesu Christi.* 233.

CAPUT VI.

*Aspirationes Viatoris pro felici morte ad Christum.* 239.
*Affectus ad Jesum agonizantem.* 240.
*Ad B. Virginem.* 242.
*Ad SS. Angelos, & omnes Sanctos.* 244.
*Homagia in vita & morte Deo præstanda.* 245.
*Desiderium bonæ mortis.* 249.
*Aspirationes morientis.* 251.
*Suspiria coram Crucifixi effigie.* 254.
*Orationes pro agonizantibus.* 256.
*Conclusio.* 258.

CA-



# CAPUT I.

## Proponuntur quædam considerationes Viatori utiles, & necessariæ.

## I.

### Omnes viatores sumus, & peregrini.

*Omnis, qui ad supernam pertinet Civitatem, peregrinus est mundi: & dum temporali utitur vita, in patria vivit aliena.*

S. Aug.

Sicut omnes, quotquot nascimur, sive pauperes, sive principes, mortales sumus; ita omnes Viatores,



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

omnes peregrini. Toto aberraret cœlo, qui sibi patriam in exilio fingeret, qui manentem civitatem in itinere somniaret. Mundus omnibus diversorium est.

Unde benè S. Bernardus : *Sancti Viri peregrini sunt & hospites in hoc sæculo. Hinc reprehenditur Petrus, quòd tabernaculum in monte fieri voluerit: quia Sanctis in hoc mundo tabernaculum non est.* Et S. Augustinus cuivis diviti modum pecuniis utendi præscribens, ait : *Utere nummo, quemadmodum viator in hospitio utitur mensa, calice, urceo, dimissurus, non permansurus.* Tract. 40. in Joann.

Quia omnes peregrinamur, imitemur homines peregrinos & viatores. Viator seu peregrinus semper ad patriam suspirat, ad patriam sollicitè tendit, vestitum & victum habens non vult aliis onerari. Peregrino diu stare, quiescere, sedere, epulari splendidè, moras hic nectere, amœnitatibus, aliisque illiciis distineri non licet. *Nam stultus ille Viator est* (inquit S. Gregorius) *qui in itinere amœna pra-*



*prata conspiciens, obliviscitur ire, quò tendebat. In via es, ò homo, ambula, ut pervenias, ne te nox in via occupet.*

Idem inculcat nobis mellifluus Doctor, cum dicit: *Peregrinus via regia incedit: non declinat ad dexteram, neque ad sinistram: si fortè jurgantes viderit, non attendit: si nubentes, aut choros ducentes, aut aliud quodlibet facientes; nihilominus transit, quia peregrinus est, & non pertinet ad eum de talibus.* Serm. 7. in Quadr.

Infelicissimam, Viator, fuge viam illorum, qui mundo & mente capti, hic sibi præfigunt Patriam, hic fines vanissimos honorum, voluptatumque eligentes, homicidam animæ suæ præponunt Christo, voluptatulam pestilentem deliciis cœli. *Hi ob res caducas animam suam & æterna bona* (teste S. Augustino) *vendunt diabolo, accepto tanquam pretio, dulcedine temporalis voluptatis, cursumque, eheu! misere abripiunt.*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## II.
### Via recta ad Cœlum Via crucis.

*Per quam viam ascendemus?* 4. Reg. 3.

MAximus ille & amabilissimus Gigas, paratus ad currendam cœlestem viam, duas commemorat vias, quibus Viatores tendunt ad felicem vel infelicem terminum. *Spatiosa* (inquit Mat. 7.) *via est, quæ ducit ad perditionem: & multi sunt qui intrant per eam. Arcta via est, quæ ducit ad vitam: & pauci sunt qui inveniunt eam.*

Spatiosa via, quâ currunt cœco impetu homines reprobi, quorum Deus venter est, qui ducunt in bonis dies suos, & eheu! in puncto honoris, in momento lætitiæ, in exultationis exiguo fluxu, ad inferna descendunt, est plenissima omni fraude & dolo, plena reptilibus, ac bestiis omnium scelerum, nimirùm avaritiæ, luxuriæ, odii, superbiæ. Per hanc viam, Mundus mercator perduellis suis spargit misera solatia, fallaces spes, brevem vilemque fortunam, quæ vix afficit & deficit, vix



vix proficit & projicit, vix exponit & deponit, vix concedit & recedit.

Omissâ hoc loco spatiosâ, ac periculosa viâ in omni pio statu ac professione, non tantum scilicet Religiosorum, sed etiam cujuscumque conditionis sæcularium arcta via est eligenda, nimirùm via crucis; quia omnibus in genere dictum est: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Deinde: *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Non vinolenti, non somno, gulæ, luxuriæ, aut deliciis dediti. Frustra existimamus obtineri cœlum posse, nihil patiendo, & carni indulgendo quicquid illa appetit. *Impossibile est* (inquit S. Hiero.) *ut præsentibus quis & futuris fruatur bonis, ut hic ventrem, & ibi mentem expleat, ut à deliciis transeat ad delicias.*

Hac via Dux & antesignanus noster Christus prævivit. Primus ille crucem bajulabit, primus passus est, nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Neque tantùm passus fuit ad finem vitæ suæ, quando fuit



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

fuit crudelissimè cæsus, spinis coronatus, & cruci affixus; sed ab instanti suæ incarnationis, tota ipsius vita fuit passio, fuit continua Crux.

Post Christum ducem nostrum transierunt hac via Crucis & Virgines, transierunt Martyres, transierunt pueri & puellæ. Tu solus hac via Crucis ire tenues? Christus portavit Spinas; tu vis te blandis rosis coronare? Innocentissima Christi caro tam diris cruciatibus lacerata est amore tui; tu Dei amore non vis carnem tuam rebellem nisi indulgenter habere?

Deum serio amare est unicum compendium: ne commoda nostra quæramus, ut secundùm Deum, non secundùm nos vivamus. Divus Prosper *de Vita contempl.* lib. 3. c. 1. hæc omnia scitè ita complectitur, depingens hominem suis commodis inhiantem: *Secundùm se ipsum vivit, qui si potuerit, est, cum quibus vult, pergit quò vult, dormit quando, & quandiu vult, loquitur quæ vult, & ubi vult; manducat, & bibit, quando & quod vult, &c. Qui autem secun-*

*dum*



*dùm Deum vivit; non quod eum carnaliter delectat, sed quod ædificat, spiritualiter facit, & omnia desideria carnis spiritualis desiderii delectatione compescit, futura præsentibus anteponit, carnem spiritui subdit.*

Indulgenter tractare carnem est illam mortaliter odisse; ac ad æternum quod cruciat, ducere per momentaneum quod delectat. Unde S. Bernardus Epist. 2. commoditates, porcorum siliquas vocat, quæ cœlestium famem extinguunt. *Quomodo potest*, inquit, *esurire, vel sitire Christum, plenus quotidie siliquis porcorum? Quomodo ignis, & aqua simul esse non possunt; ita spirituales, & carnales deliciæ. Verè*, ait aureus ille Asceta Joannes Gersen *lib.* 1. *cap.* 24. *nos ipsos decipimus per inordinatum amorem, quem ad carnem habemus. Quantò ampliùs tibi ipsi nunc parcis, & carnem sequeris; tanto duriùs postea pœnas lues, & majorem materiam comburendi reservas.*

Crux ergo, seu mortificatio, est arcta via, per quam cœlum ingredi con-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
BIBLIOTECA

contendamus. Qui verò crucem, seu quamcumque mortificationem fugit in quocumque statu: fugit viam arctam, semitam salutis, & incidit in vias difficiles.

Duplicem verò communiter Ascetæ assignant mortificationem, nimirum continuam, & discretam, seu discontinuam. B. Albertus Magnus *Paradisi animæ*, cap. 38. *macerationis, seu mortificationis continuæ actiones has ponit.* Primò sponte castigare corpus jejuniis, vigiliis, humi cubationibus, orationibus, ciliciis, disciplinis, abstinentia cibi, & potus delectabilis, ut in omnibus caro spiritui subjaceat. Secundò carni nullam voluptatem, sed solam necessitatem impendere. Tertiò non tantùm ventrem, & os suum coercere à cibi & potus voluptate, sed & linguam compescere à verbis illicitis: & visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum refrænare à delectationibus, & cor à cogitationibus, & affectionibus voluptuosis.





*Continuam mortificationem suadent nobis auctoritates, & exempla.*

SAnctus Paulus monet: *Semper mortificationem in corpore nostro circumferentes*: & de seipso aliisque ait: *Propter te mortificamur tota die: non habuit requiem caro nostra. Quotidie morior per vestram gloriam.* Et S. Bernardus suadet (*ad Fratr. de Monte Dei* scribens) *semper exhibere corpus suum hostiam Deo placentem.* Hanc hostiam per continuam mortificationem Deo amor sacerdos immolat, quando corpus jejunio, somno parco, cilicio, flagris, duro inter orandum, vel in lecto, situ, aliisque artibus affligat.

Primum exemplum continuæ mortificationis, seu crucis accipe in Beata Virgine: de ea scribit Gregorius Turonensis, quòd ex quo templum ingressa est, semper sit usa cilicio, somnus illi super nuda humo, vel duris tabulis parcissimus fuerit.

De S. Bernardo in Vita ipsius legitur: Beatus Bernardus in afflione

corporis sui usque adeò sibi mundum, seque mundo reddidit crucifixum, ut confidamus martyrum quoque cum merita obtinere sanctorum, quem confessionis ordine, & parsimonia vitæ, tam longum constat duxisse martyrium.

Scribitur de *Juditha* cap. 8. quia habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter festa domus Israël.

Ajunt S. Ludovicum Galliæ Regem, si quando Confessarii jussu consuetum cilicium deponebat ob valetudinem afflictam ad tempus; eo die concessam hanc, ut ipse dicebat, corpori suo indulgentiam, erogatis quadraginta scutis in pauperes redemisse.

Robertus Galliarum Rex, quinta cujusvis hebdomadis feriâ vestem regiam exuebat; & cilicio ad carnem coopertus centum sexaginta pauperum pedes abluebat, ac prolixo suo capillo tergebat. *Lyræus*, lib 2. c. 3.

S. Paula etiam in gravissima febri, mollia lectuli strata non habuit, sed super durissimam humum stratis cilicio-



ciolis quiescebat. De ea *S. Chrisost. Ep.* 108.

Lectus S. Martini erat nuda humus superinjecto cilicio.

Tiberius Bisiniani Princeps sæpius non nisi pane vescebatur, aquam bibebat, ferreâ catenâ collo circumdatâ, qua se Deiparæ mancipium testabatur.

B. Eleonora de Vanegas Religiosa Tertii Ordinis Sancti Dominici pane solo vescebatur, vel quandoque lauticiarum loco, coctis herbis; nudis hyeme pedibus ambulabat, humi cubabat, aut in assere, saxo cervicalis vicem subeunte, ei cilicium diu noctuque humeris affixum fuit, modico somno utebatur, ut largiùs orationi vacaret, cui frequens fuit per septimanam flagellatio, &c.

Gratum sibi esse S. Emundi cilicium ostendit Deus, quando illud ab igne servavit illæsum. Deum enim ejus cubicularius, inquit Surius, cilicium, & fæmoralia cilicina, quæ usu diuturno contriverat, ab eo comburenda accepit, & ille quidem misit ea in ig-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nem; sed ignis lambens ea, consumere non potuit, tanquam vereretur sacrilegii notam sibi inustum iri, si læderet ea, quæ beati viri carnem attigissent.

S. Eligius de sua prædestinatione anxius animi, hanc sibi vocem (nempe dæmonis instinctu) audire videbatur: Quicquid agis, inutile est. Casurus es, quia de numero es reproborum. At ille in consueta mortificationis exercitatione pergebat. Et verò inter cilicina lintea noctu orantem vox è cœlo lapsa recreavit: Securus es, si sic ad finem perseveraveris.

S. Theresia post obitum cuidam apparens dixit: Si qua ex causa vellem carere beatitudine tantisper, certè ut ampliùs pati possem, cujus nunc tantam mercedem in cœlis video.

Alia mortificatio est discreta, seu discontinua, quam in variis actionibus totius diei, & in omni occasione possumus facere: videlicet in sensibus externis & internis, in potentiis tribus animæ, in linguæ usu, in pravis consuetudinibus, in mortificatione ho-



honoris, amoris proprii, & mundani, &c.

*Ita dum egrederis in publicum, oculorum cohibe curiositatem; ne aspicias quod desiderare non licet; visum modestum & depressum gere.* Magdalena Redonia Tertii Ordinis S. Dominici Professa, per urbem incedens nihil præter silices & lutum intuebatur. Vidit aliquando S. Mechtildis, dum in festo S. Joannis Evangelistæ sacris interesset, Beatam Virginem, & hunc S. Apostolum illustrem radio splendoris admirabili, qui ex oculis emicans in faciem Deiparæ dirigebatur, dumque hæret isto prodigio attonita, audit à Joanne, se, dum inter mortales viveret, eâ fuisse erga Virginem Matrem reverentiâ, ut defigere in illam oculos nunquam fuerit ausus.

*Offert se aliqua curiositatis occasio? adhibe mortificationem.* S. Carolus Borromæus nunquam per ullam fenestram prospiciebat. Pia Magdalena Fedonia, quando ad eam filii literæ deferebantur, ad tres quatuorvè dies tenebat obsignatas: tum ut curiositatem

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tem suam frænaret; tum ut teneritudinem affectus materni compesceret.

*Aliquis te verbo, repulsa, contemptu, aut alia ratione offendit? optima adest te mortificandi occasio.* Sanctimonialis quædam in Monasterio B. V. de Gratia, si molesto, aut aculeato aliquo dicto perstringeretur, illicò se proripiebat ad SS. Eucharistiam pro hac cruce gratias actura.

*Versaris in periculo violandi silentii, aut regulæ alicujus, aut præstandæ inutilis & otiosæ urbanitatis? Generoso recessu & mortificatione declina.* Memoriæ proditum est de Joanna Celessia Attrebati Religiosa, quòd rarò ad locum congressus, seu colloquii veniret, ne unquam, nisi de rebus necessariis loqueretur. Unde ab aliis quibusdam sororibus majori licentiæ deditis, soror sylvestris appellata est: sed illa tali convitio immobilis, à sua consuetudine non recessit.

*Cibum sumis? etiam hic in quo franges appetitum tuum, invenies, sive à qualitate ciborum, sive à quantitate. Nunquam inse aliqua victoria receden-*





*dum est.* Franciscus Arias pluribus confirmans, plurimum placere Deo mortificandi studium etiam in rebus parvis, affert è B. Petro Card. Damiani Abbatem, qui allatum sibi piscem, cujus edendi desiderio tenebatur, cùm pauper ad portam peteret sibi pro eleemosyna dari id, quod Abbati appositum est, audito eo, illi unà cum scutella misisse pro eleemosyna, ut seipsum mortificaret, seu pervinceret: pauperem autem, una cum accepta scutella in conspectu plurium è terra sublatum in cœlum. Alia sexcenta exempla omitto.

Nunc ergo & nobis gemendum est sub jugo mortificationis; ne si crucis jugum nunc fugiamus, cum reprobis mortificemur æternùm. Hac te Viator, consideratione solare, crucem unius horulæ æterno præmio & solatio compensari. *Curramus ergo* (tu Anselmus urget) *credendo, sperando, diligendo, corpus affligendo, benè operando: certè abstinentiæ, lacrymæ, preces, vigiliæ, ipsæ sunt viæ, quæ in cœlum ducunt*, teste Ephræm.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

III.

Compendium viæ cœlestis est brevissimum per Heroica.

*Vidisti virum velocem in opere suo*
Proverb. 22.

VIator viâ regiâ, seu viâ crucis incedens ad patriam, si velit quandoque brevissimo tempore iter suum conficere, & pervenire ad terminum; in spiritu fervoris, seu per actiones heroicas progredi debet. Per has citiùs summum attingitur: & quod alii diuturno tempore, Viator heroicus brevissimis momentis assequitur.

Præstantissimus est talis fervor eorum, qui incumbunt actionibus heroicis, generosis, insolitis, & ita celeribus, ut incredibili velocitate sua omnes alias vulgares transcendant actiones, & ad thronum gloriæ magni Dei pervenientes, Angelos omnes, & ipsum Deum in sui admirationem & amorem abripiant.

Talis fuit actus Abrahæ, qui ad unicam vocem Domini, ex nunc voluit



luit unicum filium suum immolare. Unde audivit: *Quia fecisti rem hanc, benedicam tibi.*

Ejus generis fuit actus heroicus S. Bernardi. Clericus quidam veniens ad hunc S. Abbatem, importunè instabat, ut in Monachum reciperetur. Dum ei suaderet S. Bernardus, ut ad suam reverteretur Ecclesiam; homo ille velut insanus, tota vi percussit maxillam sancti Patris. Ad hunc tam gravem ictum, nec minimum Sanctus edidit impatientiæ signum lib. 3. cap. 6.

Alexius prima nocte nuptiarum Sponsam intactam reliquit, paupertatis propter Jesum experiendæ studio, & amore castitatis.

S. Casimirus maluit vitam amittere, quàm virginitatem.

Eximius ille vir Cæsar Buzius, dum quodam tempore videret Augustissimum Sacramentum deferri ad ædes ægroti, statim nudato capite, facem manu præferens, contempto nobilium virorum occursu, à quibus se ridendum, & vilipendendum sperabat; præibat ad ædes ægroti.

Theo-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
UANL
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Theodosius Imperator magnam sanctimoniam & perfectionem consecutus est unico actu heroico, nimirum in ludis theatralibus frænando oculorum licentiam & curiositatem: quotiescumque enim occurreret aliquid aspectu jucundum gratumque, & populus magnis lætitiæ vociferationibus spectaculo acclamaret; tum se demittere, aut omnino claudere oculos solebat, ne quid eorum cupiditati indulgeret.

Hæ nimirùm nobilissimæ ac generosæ actiones, mirum in modum accelerant iter ad egregiam sanctitatem. Hæ actiones sunt gratiæ prodigia, & germina spiritalis fervoris; ita ut unicus subinde actus heroicus, non solum aucupari soleat singulares favores divinos in hac vita, sed etiam in altera incredibilia consequatur amoris divini, & gloriæ augmenta.





## IV.

### Decet Viatorem semper & ubique Dei sui meminisse.

*In omnibus viis tuis cogita Dominum, & ipse diriget gressus tuos.*

Prov. 3.

VIator aspirans ad patriam, ne erret in terra deserta, invia, & inaquosa, semper ambulet coram Deo, & cogitet Deum sibi intimè ubique præsentem: quia in Deo vivimus, movemur, & sumus.

Unde nos admonet S. Bonav. *Attende, ut quicquid agas, & ubicunque steteris, & quibuscumque negotiis implicerís, die, ac nocte, omni momento & hora Deum semper habeas in memoria, credens & cogitans te esse verissimè, coram eo, & ipsum cogitans ubique te aspicere. Hæc autem cogita cum magna reverentia, ac timore pariter & amore.* Et S. Greg. Nazian. idem nobis inculcat: *Non tam sæpe respirare oportet, quam Dei meminisse: Deus enim continuò, & continenter nobis benefacit.*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Certè continuò cuivis Deus benefacit; quia per eum nobis terra stat, fluit aqua, diffunditur aër, ardet ignis, lucet Sol, cœlum vertitur, nobis bruta animalia vivunt, serviunt Angeli. Verbo: quæcumque sub visum, gustum, odoratum &c. cadunt, omnia munera tua comperies, quibus Deus te pascit cùm esuris, potat cùm sitis, operit cùm nudus es, fovet cùm friges, reficit cùm deficis, sanat cùm ægrotas.

Unde est summa infelicitas nostra, quòd raro præ oculis authorem bonorum præsentem habeamus; quòd in hujusmodi actione supinè simus negligentes: perinde ut bruti pisces, cùm in mari vivant, moveantur, & sint, se tamen ibi vivere, & moveri, & esse ignorant.

Est & summè periculosum homini non meminisse Dei sibi præsentis; quia sicut pisciculus ex aqua extractus mox perit & moritur; ita homo ex Dei præsentia per oblivionem egressus, necesse est ut subitò pereat. *Non est* (ait Propheta) *Deus in conspectu ejus*

(ideo)



(ideo) *inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore*: ideo homo sine præsentia Dei sæpissimè in gravissima ruit, & labitur peccata, in mentis cæcitatem, cordis obstinati duritiem, ac demùm cæco impetu ruit in præcipitium infernale. Nam sine præsentia Dei homo fit, aut per luxuriam velut bestia, aut per superbiam velut dæmon.

Maximam utilitatem Viatori adfert divina præsentia. Et imprimis, quia nos arcet à gravioribus peccatis, puritatem cordis adfert, & in timore Dei conservat.

Habemus hujus rei exemplum in S. Bernardo. Contigit, ut Bernardus adhuc adolescens apud matronam quandam hospitaretur. Considerans mulier adolescentem decorum aspectu, capta est laqueo oculorum suorum, & in concupiscentiam ejus exarsit. Cumque adolescens quiesceret, surgens ipsa de nocte, impudenter accessit ad eum, quam Bernardus sentiens, nec consilii inops exclamare cœpit: Latrones, Latrones. Et ita usque ter-

tiò

tiò improba mulier fuit repulsa. Quonam hic invictus Heros scuto munitus, de carne & diabolo tam generosè triumphavit? certè scuto divinæ præsentiæ. Et verò quis coram Judice præsente peccare audeat?

Deinde præsentia divina in nobis flammas divini amoris succendit. *Vis Deum amare?* quærit S. Thom. Op. 61. cap. 2. & respondet: *Prius oportet cognoscere. Summum delectabile oportet præapprehendere cogitando, ut possimus diligere appetendo.* Vide ergo intellectu semper Deum, ut concipias affectu.

Insuper præsentia Dei nos ipsis Seraphinis assimilat. Pulcherrima Seraphinorum occupatio est coram Deo stare, clamare, amare, ut Isaias vidit cap. 6. Quisquis Deum amat, conatur illum ferre ubique in oculis, & imitatur Seraphinos. Unde S. Gregor. *Seraphim ex singulari propinquitate Conditoris sui, incomparabili ardent amore. Tantò magis ardent, quantò viciniores hunc vident.*

Per præsentiam Dei omnis virtu-

tum



tum acquiritur perfectio: qui enim, mentis oculis semper intuetur Deum omnia placita, omnes gustus, omnia mandata Dei adamussim exequitur. Quicquid ergo facis, sive legis, sive oras, comedis, bibis, loqueris, ambulas, in omni loco & actione accede ad Deum, Viator, ad Deum semper tibi intimè præsentem. Accedere autem potes triplici via, vel ut reus de peccatis ingemiscens per viam purgativam, vel ut inops virtutibus per viam illuminativam, aut velut sponsa ardens amore per viam unitivam.

*Viam purgativam* vocant viri spirituales, quando intellectus animæ peccati fœditatem proponit, ut illud detesetur, atque exterminet; quibus ipsa permota affectuum suorum pedibus (ut sic loquar) per voluntatem abit in timorem Dei, & à peccatis cum magna detestatione recedit.

*Via illuminativa* est, quando intellectus voluntati proponit amandam pulchritudinem virtutis, omnique studio quærendam, maximè Christi, & Sanctorum exemplo.

*Via*

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*Via Unitiva* dicitur, quando beneficiorum Dei, & perfectionum consideratione, voluntas in Deum fertur per amorem, ejusque voluntati se conformat, atque ad perfectam cum eo unionem aspirat.

Hinc apparet triplex affectuum genus, quod triplici viæ respondet in partes plures dividi posse.

*Affectus viæ purgativæ* sunt, pudor & confusio de peccatis, dolor de iisdem, timor divinæ justitiæ, atque hinc mortificationis desiderium, ut homo illi satisfaciat.

*Illuminativæ*: virtutum omnium amor, spes ac desiderium eas adquirendi, rerum terrenarum & voluntatis propriæ abnegatio, imitatio Christi & Sanctorum.

*Unitivæ*: amor Dei, gratiarum actio, zelus animarum, lætitia & admiratio de perfectionibus divinis, suspirium ad cœlestem gloriam. Hac ergo triplici via, seu affectibus jaculatoriis, sæpius per diem potest Viator ad Deum, & patriam Beatorum accedere.

Ora-



### Orationes jaculatoriæ, & motus anagogici quid sint, exemplis Sanctorum Patrum approbantur.

Dicuntur *orationes jaculatoriæ*, quia instar jaculorum, seu sagittarum velocissimè transeuntium, in cor divinum tamquam in scopum jaciuntur, ut ab eo dona cœlestia obtineamus. De his S. Augustinus ad Probam ep. 121. *Dicuntur Fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, eas tamen brevissimas, & raptim quodammodo jaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum necessaria est, per productiores moras evanescat, atque hebetetur intentio.* Et Cassianus in collationibus: *Frequenter, sed breviter orandum est, ne immorantibus nobis, inserere aliquid cordi nostro insidiator possit inimicus.*

Hunc brevem orandi modum per orationes jaculatorias, seu motus anagogicos exemplo suo nos Christus docuit. In horto enim iterabat hæc verba: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.* Sancti in cœlo continuò



cla-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

clamant: *Sanctus*, *Sanctus*. Basilius suadet peccatori, ut ad imitationem Chananeæ identidem inclamet illud: *Miserere mei Fili David*. Thais olim meretrix edocta à Paphnutio Abbate sic orabat: *Qui plasmasti me, miserere mei*. Beata Clara de Monte Falco millies quotidie Deum adorabat genua flectens, & totidem fundens Orationes jaculatorias. S. Franciscus tota nocte orabat, hæc sola verba repetens: *Deus meus & omnia*. Narrat Theodoretus lib. 9. Simeonem Stylitam, innumeras quotidie adorationes peregisse, adeò ut unus numeraverit aliquando mille ducentas quadraginta quatuor, alias omittens, quia lassus destitit numerare.

Dicuntur *Motus Anagogici*, idest sursum ducentes, nimirùm, quia illis à rebus terrenis abducimur, & ad superna levamur, ac tandem ad beatam cum Deo unionem evehimur.

### *Exercitium Aspirationum in Via Purgativa.*

TIbi soli peccavi Domine, & malum coram te feci.

Qui



Qui plasmasti me, miserere mei.

O me infelicissimum! qui omnium peccatorum sum reus.

Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam.

Quò ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua, mi Deus, fugiam.

O mi Deus! si me ejicis, quis me recipiet?

Delicta juventutis meæ, & ignorantias, ne memineris Domine.

O Jesu! sis mihi Jesus.

Hic ure, hic seca, modò in æternum parcas.

Deus propitius esto mihi peccatori.

Non audeo, mi Jesu, in cœlum oculos levare, propter peccata mea.

Deus in adjutorium meum intende.

Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus, & immortalis miserere mei.

Pater, peccavi in cœlum & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus, sed nec creatura tua.

O Domina mea, monstra te esse Matrem.

Quæ utilitas, mi Jesu, in sanguine tuo, & meo, si descendero in infernum?



Non

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Non mortui laudabunt te Domine: sed nos qui vivimus, benedicimus tibi.

Quid mali fecisti mihi Domine, quia offendi te.

O mi Deus! malo imposterùm in ipso inferno ardere, quàm te offendere.

Peccavi Domino.

O Jesu! ò summum bonum meum, cur unquam offendi te?

Væ tempori illi, quo te offendi, mi Deus!

Exitus aquarum deducant oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.

*In Via Illuminativa.*

SErò te cognovi, pulchritudo tam antiqua: serò te cognovi, bonitas infinita.

Ibo, & quæram quem diligit anima mea.

Domine Jesu, noverim me; noverim te, nec aliud cupiam nisi te.

Quocumque loco fuero, meum Jesum desidero.

Vivat Jesus, & exaltetur Deus salutis meæ.





Væ tempori illi, quo te, mi Deus, non amavi.

Loquere Domine, quia audit servus tuus.

Domine ante te omne desiderium meum.

Adjuva me, & salvus ero Domine.

O Domine, ego servus tuus, & mancipium ancillæ tuæ Mariæ.

Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.

Nolo vivere, mi Jesu, sine vulnere, quia te pro me video totum vulneratum.

Gaudens gaudebo in Domino, & exultabo in Deo Jesu meo.

Adhæreat lingua mea ori meo, si unquam oblitus fuero tui, mi Deus.

Credo tibi, & in te spero, & toto corde te volo diligere, Deus meus.

Ex te, in te, & pro te, mi Deus, sint omnia mea.

Benedic mihi, ò SS. Trinitas, ò dulcissima Virgo Mater, ò Angele mi custos, ò Patroni mei.

Eja, quæso, multiplica in anima mea virtutes, Domine Deus virtutum.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

### *In Via Unitiva.*

Misericordias Domini in æternum cantabo.

Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.

O ignis, qui semper ardes, accende me.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.

Quis mihi det, ut diligam te, mi Deus, amore ardentissimo, quia tu es amor meus, & omne bonum meum.

O patria nostra! patria secura! à longe te video, ab hoc mari, & exilio te saluto.

Cupio dissolvi & esse tecum, mi Jesu.

Tædet animam meam vitæ meæ, quia lumen cœli, Deum meum non video.

Quid mihi & tibi, ò Jesu Fili Mariæ Virginis?

O patria! quando revertar ad te?

Vivat Jesus in corde meo.

O mi Deus! quando transibo in te! quando abibo in cineres dilectionis tui.





Vulnerastis cor meum, ò Jesu, ò Maria; vulnerastis cor meum.

O felix hora, quando liberabor de corpore mortis hujus!

Domine Jesu, quantùm te diligunt qui te noverunt! omnes electi amore tuo exardescunt: & ego solus frigidus ero?

Cupio, mi Deus, transire in te, transformari in te, perire propter te.

Nihil cupio, mi Deus, extra te, quia inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.

Moriar, mi Jesu, moriar: modò inter desideratissimos & suavissimos amoris tui amplexus.

Age, age bone Jesu, tolle amorem meum totum à me, & converte ad te: accende & rape, flagra, & dulcesce: jam amem te, jam rapiar in te.

Oh liquescam! oh conflagrem amore Dei mei.

Utinam vivere possim ego, sed non ego; sed vivat in me Deus, amor meus!



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

### V.

### Viatori per creaturas ad Creatorem ascendendum.

*Cor hominis disponit viam suam.*
Prov. 16.

VAriæ Viatori aspiranti ad patriam solent occurrere in via creaturæ Dei, & opera ejus: si ergo Viator noluerit errare, sciat & curet per eas Deum investigare, & per omnes semper amoris gressibus ad Creatorem suum aspirare. Viatori Creatura non sit remora.

Philo disertissimus Judæorum lib. de Præmiis, *Scalas ad Deum esse omnia creata* asseverat. Via etenim patet nobis ab his quæ videmus, & contrectamus, ad opificem Deum, quem non videmus. Consonat Basilius Seleuc. Episcopus orat. 1. dicens: *Cum Deus res creatas in morem scalæ Viatoribus adaptaverit, per eas sui amantibus ascensum ad se extruxit.*

Per creaturas Deus tuum, ò Viator, venatur amorem, cui capiendo, toto orbe creaturarum ponit laqueos. Uti-



Utinam & tu capiaris! utinam sis amoris Divini præda, ne fias alterius amoris prædo! Omnis creatura inclamat tibi hæc tria: Accipe, redde, cave. Accipe creaturas ut beneficium: redde Creatori earum officium: cave abutens illis supplicium.

Cur amas hæc terrena, nisi quia pulchra & bona sunt? possunt esse tam pulchra, & tam bona, atque ipse à quo facta sunt? quis sic delectat, quàm ille qui fecit omnia, quæ delectant? Interroga creaturam: si à se ipsa est, remane in illa: si autem ab illo est, non ob aliud perniciosa est amatori, nisi quia præponitur Creatori.

Ad hanc piam erga Deum affectionem, & continuum accessum, omnes Viatorem christianum criaturæ hortantur, sive enim rationales illæ sint, sive non, laudem tamen Dei sui, vel apertè, vel occultè enuntiant. Nulli ergo dubium, quin facillimè possit, quicumque huic studio animum applicaverit, ex aspectu cujuslibet creaturæ in Deum assurgere, & piis affectibus ad Deum aspirare. Habemus hu-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

jus rei exemplum in Sanctis.

Scribitur de S. Fulgentio Ep. Ruspensi. Videns quondam hic Sanctus in generali conventione nobilium Romanorum, tot dominorum præsentium splendorem, Theodorico Gothorum Rege concionante, exclamavit: O Deus! quàm pulchra oportet ut sit cœlestis illa civitas Jerusalem, si hic in terris sic splendet Roma terrestris. Et si in hoc mundo tantus splendor concessus est amatoribus vanitatis, quanta gloria reservata esse debet contemplatoribus divinæ Majestatis!

Constantinus Magnus honorificè quondam scripsit S. Antonio Abbati: quod factum Religiosi, qui cum illo erant, valdè admirabantur. Tunc inquit Sanctus ad illos: Quid admiramini Regem scribere homini? potius admiremini Deum æternam suam legem scribere mortalibus, imò in persona Filii illis locutum.

S. Franciscus videns ovem solam inter hædos derelictam: Ecce, inquit, ut misera ista ovicula mansueta est inter capellas, sic Salvator noster inter Pha-



Pharisæos mansuetus erat. Idem Sanctus videns quodam tempore agnellum à porco comestum: Ah parve agnelle, (inquit plorans) quàm ad vivum Salvatoris mei amarissimam mortem exprimis!

Anima quædam devota intuens fluvium, cui cœlum cum stellis nocte serena repræsentatum erat, exclamavit: O mi Deus! eædem illæ stellæ sub pedibus meis erunt, quando recipies me in Sancta tabernacula tua.

S. Francisca considerans pulcherrimum fluvium in ripa, in qua ipsa flexis genibus sedebat ad orandum, in ecstasim rapta aliquoties hæc verba lentâ voce repetit: Tam dulciter & suaviter fluit gratia Dei, sicuti fluvius iste.

Alius arbores videns florentes suspirabat, ut quid ego solus deflorui in horto Ecclesiæ! ut quid sum arbor sicca nullum fructum faciens!

Alius intuens cursum Solis dicebat: Quando, mi Deus, anima mea sequetur Agnum, solem justitiæ, quocumque ierit.

CA-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

# CAPUT II.

## Praxis aspirationum, seu affectuum, pro qualibet occasione, & actione.

### *Dum Cœlum conspicis.*

1 DOmine, non sum dignus videre altitudinem cœli, præ multitudine iniquitatis meæ.

2 Oh patria nostra! patria secura! à longè te video: ad te suspirat peregrinatio mea. Tedet animam meam vitæ meæ, quia non video Deum Deorum in Sion.

3 Utinam, mi Deus, tantùm te nunc amare possem, quantùm omnes Beati in cœlo hactenus te amarunt.

### *Dum aliqua grata & venusta vides.*

1 SI tanta, mi Deus, facis nobis in carcere, quid ages in palatio? si tanta solatia in hac die lacrymarum, quanta conferes in die nuptiarum?

Quic-



2 Quicquid mihi dare vult Dominus meus, præter se ipsum, dulce mihi non est: auferat totum, & se mihi det.

3 Quàm aridus & durus es, anime mi, sine Jesu! quàm insipiens & vanus, si cupis aliquid extra Jesum! esse sine Jesu gravis infernus, & esse cum Jesu dulcis paradisus.

### *Dum animum relaxas.*

1 O Dilecte Jesu! unicum cordis mei gaudium, quia amoris mei delicium! da, ut amando te semper sim hilaris, quia offendi te, meritò sim tristis.

2 Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jesu meo.

3 Utinam efficere possem, dulcissime Deus, ut omnia gaudia, quæ sunt, & erunt in mundo, non sint nisi de te. Tu enim es vera dulcedo cordium, excedens omne gaudium & omne desiderium.

In

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*In aspectu Solis, & Stellarum.*

1 O Sol mundi ocule, qui me toties peccantem aspexisti, utinam me deinceps non nisi dolentem & lugentem aspiceres!

2 O mi JESU candor lucis æternæ! quando in lumine tuo videbo lumen tuum? quando me totum concremabis flammâ tui vivi incendii? quando me totum liquefacies penetratum efficaci suavitate tua?

3 Ardeant tibi & luceant, DEUS meus sidera tua, & tot accende tædas amoris in corde meo, quot in cœlo splendent stellæ.

*In aspectu Ignis.*

1 HIC ure Domine, hic seca; modò in æternùm parcas.

2 O Domine amoris! deficiat & convertatur in cineres cor meum, si non permitto, ut amoris tui flammis æstuet, & ardescat.

3 O si citiùs ut ferrum igni, ita & ego tibi Deo meo uniri, ac in te transformari possem!

*In*



*In aspectu Aquæ.*

1 O Si derivare possem in oculos meos, flumina, maria, oceanum! efflerem ista omnia hoc luctu: Eheu! peccavi Domino: dereliqui fontem aquæ vivæ!

2 O mi Deus, quot sunt guttæ aquarum in fluviis, lacubus, fontibus, & mari, tot tibi laudes, tot ardentissimos amoris affectus in omnibus, & pro omnibus offero, & in te transfundo.

3 Immensa dulcedo, mi Deus, utinam me totum in te rapiens absorberes & absconderes! Quod enim est mari absorbere unam guttam, hoc tibi est absorbere me.

*Ante quodlibet opus.*

1 O Mi Deus, titulus & inscriptio omnium actionum & cogitationum mearum est nomen tuum, quod est Jesus: tua enim sunt omnia, & propter magnam gloriam tuam omnia mea do, dico, & addico tibi.

2 Quicquid videro, quicquid audie-

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

diero, quicquid sensero, totum tibi serviat, mi Jesu: omne opus à te incipiat, & per te cœptum finiatur.

3 Desidero, ut quævis actio mea non tam sit actio, quam amor tui major & major continuus, mi Domine.

### *Ad sonitum Horologii.*

1 BEnedicta sit illa hora, qua Dominus noster Jesus Christus incarnari voluit, & pati pro nobis: qua concepta & nata est SS. Mater Dei Maria.

2 Ecce elapsa est hora, Deus meus, cujus inutiliter jacturam feci: utinam geminatis ignibus hanc jacturam resarciam.

3 Respice in me, Domine, & miserere mei, præsertim in hora mortis meæ: & fac me talem in hac hora, qualem me desideras in æternitate.

### *Actus ante disciplinæ exercitium.*

1 MEmor sum, ô Domine, opprobrii, & confusionis, quam pro me passus es in crudelissima flagellatione tua, quando virgineum cor-



corpus tuum virgis spineis cruentabant, loris nodosis, & uncis ferreis dilaniabant, catenis ossa ipsa, & costas divellebant.

2 O anime mi! ad tam funestam Salvatoris tui tragædiam ne quidem ingemiscis? si feram aliquam sic excarnificari cerneres, an commiseratione non tangereris?

3 Æquum est, mi Jesu, ut qui flagellationis tuæ causa fui, illius quodammodo particeps fiam. Undè offero tibi eam Domine, in unione acerbissimæ passionis tuæ: omnes ictus, & flagella tuo aspergo sanguine, ut hoc pœnitentiæ exercitium gratius tibi sit, cedatque in satisfactionem pro peccatis meis.

### *Dum insurgunt tentationes impuræ.*

1 AMor meus crucifixus est, & ego voluptati operam dabo? Absit: non decet sub spinoso capite membrum esse delicatum.

2 Salvator mundi, salva nos, qui per crucem, & sanguinem tuum redemis-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

misti nos : auxiliare nobis, te deprecamur, Deus noster.

3 Eja, adesto, optime Jesu, ne sanguis tuus in me pereat. Adsis clienti tuo, Maria. Adeste Sancti omnes: vestris præsidiis munitus sperabo in Domino : & licet consurgant adversum me castra, non timebit cor meum. Jesu, Maria, Joseph, dono vobis cor meum.

*Cùm domo egrederis.*

VIas tuas, Domine demostra mihi, & semitas tuas edoce me. Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.

*Cùm deambulas.*

1 O Quanti sunt infirmi, & claudi, quibus ambulare concessum non est. Gratias tibi Domine, quia corpus integrum dedisti mihi, & me hactenus incolumen conservasti.

2 Domine non sum dignus calcare hoc pavimentum, per quod transeunt tot servi tui, quibus comparatus vermis sum, & non homo, opprobrium

brium



brium hominum, & abjectio plebis.

3 O si quovis momento vitæ meæ, quovis gressu accurrere possem ad pedes tuos, mi Jesu, illosque lamberem, illos amplecterer.

*Cùm vides aliquod peccatum proximi.*

1 COmpatior, mi Deus, peccato hujus hominis; non credo tamen illud esse tantum malum, quantum mihi videtur. In supplementum tuæ offensæ, offero tibi pretiosum sanguinem Filii tui, & in illo hoc peccatum depono.

2 Ego, Domine, majora peccata perpetravi, proh dolor! & gravius te offenderem, nisi tua me gratia præservaret : Unde etiam toto corde tibi gratias ago pro auxilio mihi præstito.

3 Amore tui, mi Deus, doleo de omnibus peccatis à quocumque unquam contra te commissis, & committendis, quæ, si possem, impedire, & sanguine meo delere vellem.

*Cùm*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
UANL ®

*Cùm vides aliquod bonum proximi.*

1 SErviat tibi, mi Domine, quicquid eſt in cœlo & in terra; quia dignus es accipere laudem, & gloriam, & honorem, ab omni creatura.

2 Sis benedictus, Domine, in firmamento cœli pro omnibus bonis inſpirationibus & auxiliis, quæ tam huic perſonæ, quàm omnibus tribuiſti.

*Cùm das eleemoſynam.*

1 SI ego poſſem, Domine Deus meus, omnium egenorum miſeriis ſubvenirem.

2 Offero tibi, mi Deus, omnes divitias, omnes theſauros hujus mundi, omnia regna, omnes redditus; ita ut ſi hæc omnia mea eſſent, illa amore tui pauperibus erogarem, & in tui cultum effunderem.

3 Gratias tibi ago, Domine, quia me paſcis à juventute mea, nam inops & pauper ſum ego.





*In aſpectu imaginis alicujus Sancti.*

1 O Sancti, Sanctæque omnes fideles Sponſæ Chriſti, ſaluto & veneror vos: Gratias ago Deo meo, quòd vos elegerit, & in ſublimi gloria collocaverit.

2 O felices animæ! quando vobiſcum guſtabo & videbo, quàm ſuavis ſit Dominus! ò longa mora! ò tædioſa dilatio!

*Cùm vides imaginem Crucifixi.*

1 O Pater æterne, reſpice dulcem natum, toto corpore extenſum: carne manus innoxias pio manentes ſanguine: vide latus crudeli perfoſſum cuſpide, & dimitte noſtra crimina.

2 In tantum me diligis, Deus meus, ut te odiſſe videaris: cùm poſſes guttâ redimere, non dico cruoris, ſed ſudoris, redemiſti undâ.

3 Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redemiſti mundum

*In aspectu imaginis SS. Virginis.*

1 AVE gratiâ plena, Dominus tecum; vel Salve Regina Mater Misericordiæ.

2 Quis non diliget te, Regina cordium, & Mater sancti amoris, quis non diliget te? utinam omnes creaturæ tibi serviant!

3 Substerno tibi, Virgo beatissima, me tuum licet indignissimum mancipium, tuisque virgineis pedibus cor meum subjicio, quia melius apud te erit, quam apud me.

*Cùm aridus es.*

PAter cœlestis, pro frigida & misera cordis mei ariditate, offero tibi fervida desideria, & ardentissimum amorem dilectissimi Filii tui, beatæ Virginis, & omnium Electorum tuorum.

*Dum recordaris alicujus peccati.*

1 O Quàm justè me jam pridem in infernum detrudere poteras justissime Judex, pro peccatis meis; & mihi clementer pepercisti.





2 O si quod factum est, possem infectum reddere, ô si tempus præteritum revocare! ô quàm bonum erat mihi, si natus non fuissem: neque enim vitam mihi dedisti, ut te offenderem Deus meus.

*In aspectu volucrum.*

1 BEnedicite omnes volucres cœli Domino.

2 Quid est homo, quòd memor es ejus, mi Domine? omnia subjecisti sub pedibus ejus, volucres cœli, & pisces maris.

3 Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam sub umbra illius, quem desiderat anima mea?

*Cùm noctu decumbis.*

1 O Amabilissime Deus! quàm dormit securè, pro quo vigilat amor! nullas metuo insidias, ubi amor habet excubias.

2 O mi Deus, lux indeficens! dum clauduntur oculi mei, fac ne simul amori tuo claudatur cor meum.

3 Gratias tibi Domine, quia dum



UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus è regalibus sedibus venit.

*Dum manè indueris.*

1 EXue me, Domine, veterem hominem cum actibus suis, & indue me novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis.

2 Te sic præcipiente, Deus meus, corpus terrenis vestibus induo: non propter ornatum, & superbiam, sed propter necessarium indumentum, & ut ex habitu status meus discernatur.

3 Dum ego corpori meo vestes tribuo, tu Deus, indue animam meam veste innocentiæ, ut habitus ejus laudabilis appareat coram te.

*Cùm manus abluis.*

1 AMplius laba me, Domine, ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.

2 Domine Jesu, qui lavasti nos à peccatis nostris in sanguine tuo, laba om-



omnes animæ meæ sordes, & super nivem dealbabor.

*Dum Missæ assistis, ad elevationem Hostiæ, & Calicis.*

1 PRotector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui.

2 Amo te, & adoro toto corde & affectu. Lava me in tuo sanguine, & da mihi pati pro amore tuo.

3 Tu Rex gloriæ Christe, tu Patris sempiternus es Filius.

4 Amantissime Jesu, per effusionem sanguinis tui fac, ut mundo mortuus, tibi soli vivam, à me ipso penitùs deficiens.

*In quacumque tribulatione.*

BOnum mihi, Domine, quia humiliasti me. Propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam.

Auge, Domine, dolores, auge afflictiones; sed adauge patientiam. Hic ure, hic seca, ut in æternum parcas.

Gratias ago tibi, Deus meus, quia

 vo-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

voluntas tua in me adimpletur, qui voluisti ab æterno, ut hæc mihi evenirent. Offero ea tibi ad gloriam tuam, in unione passionis tuæ.

*Ante Concionem.*

1 DIgnus es, Domine, accipere gloriam & honorem. Utinam & ego omnes ad te Creatorem meum convertere possem.

2 Eja Domine video, ut infiniti pereant tuo sanguine & laboribus empti: & nemo potest venire ad te, nisi tu traxeris eum: quid ergo pollutis labiis, & corde præstare potero sine te? da igitur mihi gratiam, ad quod vocasti me, & adsint mihi SS. Angeli, & Patroni mei, ut ad tuam unius gloriam fiant universa.

3 O Santissima Trinitas, aperi os meum ad benedicendum, & laudandum nomen sanctum tuum. O Jesu, da mihi guttam sanguinis cordis tui, ut illo cor meum conspersum incalescat. O Maria, da mihi guttam lactis tui virginei.





*Ante Confessionem audiendam.*

1 O Jesu unica salus, sana, quæso, per me hanc animam peccatricem, quia tu cor contritum & humiliatum non soles despicere.

2 En pretium sanguinis tui Sponsa tua ab hoste vulnerata. Doce me, ut prudenter cæcam & ægram ducam in viam salutis æternæ, quia tu nihil horum odisti, quæ fecisti, & redemisti.

3 O Jesu adsis, ò Spes nostra miserere. O SS. Angeli, ò SS. Patroni adjuvate me. En volo Domine, potestate à te mihi, & ab Ecclesia collata, absolvere pœnitentes meos; quod fiat ad gloriam divinæ Majestatis tuæ.

*In aspectu Judæi, Hæretici, Ethnici, &c.*

1 A More tui, mi Deus, doleo de omnibus hæresibus, blasphemiis, irreverentiis, quibus ab omnibus unquam Judæis, Hæreticis dissidentibus offensus es, & offenderis.

2 In persona omnium, qui nun-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

quam tibi debitum honorem, laudem, & reverentiam reddiderunt, nec reddent, ut sunt Hæretici, Athæi, Judæi, Turcæ, Idolatræ, magi, blasphemi, & omnes infideles, ego te mi Jesu adoro, laudo, veneror, benedico, & exalto.

3 Desidero, mi Deus, ut ab omnibus creaturis rationalibus adoreris & glorificeris.

*Ante refectionem.*

1 Liberalissime Domine, illisè tu escam dabis, qui te non semel conviciis & oprobriis saturavit? cur talem escam aliis melioribus, qui fame pereunt, non providisti? Indignus enim sum rationalis creaturæ cibis, & pane filiorum, qui jumentis insipientibus similis factus sum propter innumera peccata mea.

2 O Deus meus, misericordia mea, gratias ago tibi, qui pascis me à juventute mea, & usque nunc aperis manum tuam, & imples me, licet indignum animal, benedictione.

3 Decerno, temperantissime Jesu, es-



esca & potu eò tantùm uti, ut natura ad serviendum tibi consistat. Nolo Domine ullam in mensa voluptatem percipere, memor fellis & aceti, quod ipse gustasti.

*In ipsa refectione condimentum spirituale.*

Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.

Virtus tui divini amoris me totum tibi incorporet, amantissime Jesu.

Tu es spes mea, Domine, portio mea in terra viventium.

Dominus meus Jesus in cruce sitit, & ego comedam & bibam?

Utinam, Domine Jesu, felle, quod gustasti, omnia mea prandia condiantur!

O cœna magna, quando accumbam ad te! ò torrens voluptatis, quando potabis me!

Quanti mercenarii abundant in domo Patris mei panibus, & ego hic fame pereo!

O quàm millies felicior esses, anima



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ma mea, si colligeres micas, quæ cadebant de manibus Jesu, nunc in deserto, quando illi ministrabant Angeli, nunc in domo Pharisæi, ubi Magdalena lacrymis rigavit pedes ejus. O si etiam in societate Virginis Matris puerum Jesum pascentis hunc cibum sumeres!

*Actus Oblationis omnium actionum totius hebdomadæ.*

OPto, mi Domine, etiamsi abjectissimus sim, ut in similitudinem beatorum Comprehensorum, qui tuo stabili amore fruuntur, possim incessanter laudare te, amare te, cogitare de te.

Desidero, ut quælibet respiratio oris hac hebdomada, & omnibus diebus vitæ meæ, sit ad te Deum meum aspiratio cordis.

Volo, ut serviat tibi, Domine, quicquid ago, quicquid loquor, quicquid cogito. Volo, ut omnis animæ & corporis actio, & omne momentum vitæ meæ nihil aliud spiret, nisi Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabbaoth.





Et hæc omnia unita meritis vitæ & passionis Domini nostri Jesu Christi, sanguine ejus aspersa, in corde deposita, manibus benedicta, conjuncta omnibus lacrymis pœnitentium Sanctorum, omnibus meritis Mariæ, & omnium Electorum tuorum, offero divinæ Majestati tuæ, ex amore tui ad majorem gloriam tuam. In gratiarum actionem, & satisfactionem. Ad impetrandam mihi virtutem & gratiam. Ad inpetrandam peccatoribus contritionem, ægris sanitatem, tentatis auxilium efficax, juste bellantibus victoriam, quibuscumque indigentibus opem & auxilium, agonizantibus perseverantiam, requiem defunctis.

*Actus gratitudinis ad finem hebdomadæ eliciendi.*

QUid retribuam tibi, Domine, pro omnibus quæ hisce diebus, & omnibus momentis vitæ meæ tribuisti mihi? quid pro bonis publicis & privatis? quid retribuam tibi pro conservatione, cooperatione, & gubernatione omnium creaturarum?



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Quid pro bonis operibus, verbis, cogitationibus, te donante, à me conceptis referam, quippe qui nihil boni cogitare possum, nisi te largiente? Quid pro auxiliis & inspirationibus tuis? O Domine, pro his omnibus sis benedictus in æternum.

Quid autem pro his omnibus reddidi tibi? Eheu! reddidi mala pro bonis, quia toties ausus sum gravissimis peccatis meis te offendere, te contristare. O utinam eo nunquam commisissem, non corde, non ore, non opere!

Suppleo omnes defectus meos sanguine Domini mei Jesu, meritis beatissimæ Virginis, & Sanctorum omnium.

## CAPUT III.

### Diarium Viatoris.

*Sive actionum per diem ordinatio.*

1 MEmineris semper & ubique Deum te cum cœlesti curia



ria intueri: Angelum & dæmonem te, tuaque omnia diligentissime observare.

2 Considera, quænam agenda hodie, quid status, & vocatio exigat; perinde, quasi in stadio curreres, opera tua omnia ac passus dirige ad metam, idest, ad Dei gloriam corde ardenti.

3 Sæpiùs & te percontare: Quò pergis anima mea? quid intendis studiis, cogitationibus, & occupationibus tuis? ad quem finem tendis?

4 Utere tempore, velut re omnium pretiosissima, & particula boni diei non te prætereat. *Volat sæpius verbum irrevocabile* (inquit S. Bern.) *volat tempus irremeabile, nec advertit insipiens, quid amittat: libet fabulari, libet otiari, dicit, donec hora prætereat. O donec prætereat hora, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad adquirendam gratiam, ad promerendam gloriam miseratio Conditoris indulget! donec transeat tempus, quo debueras properare ad Angelicam societatem, suspirare ad amissam hereditatem, flere admissam iniquitatem.*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Quid pro bonis operibus, verbis, cogitationibus, te donante, à me conceptis referam, quippe qui nihil boni cogitare possum, nisi te largiente? Quid pro auxiliis & inspirationibus tuis? O Domine, pro his omnibus sis benedictus in æternum.

Quid autem pro his omnibus reddidi tibi? Eheu! reddidi mala pro bonis, quia toties ausus sum gravissimis peccatis meis te offendere, te contristare. O utinam eo nunquam commisissem, non corde, non ore, non opere!

Supplico omnes defectus meos sanguine Domini mei Jesu, meritis beatissimæ Virginis, & Sanctorum omnium.

## CAPUT III.

### Diarium Viatoris.

*Sive actionum per diem ordinatio.*

1 MEmineris semper & ubique Deum te cum cœlesti curia





ria intueri: Angelum & dæmonem te, tuaque omnia diligentissimè observare.

2 Considera, quænam agenda hodie, quid status, & vocatio exigat; perinde, quasi in stadio curreres, opera tua omnia ac passus dirige ad metam, idest, ad Dei gloriam corde ardenti.

3 Sæpiùs & te percontare: Quò pergis anima mea? quid intendis studiis, cogitationibus, & occupationibus tuis? ad quem finem tendis?

4 Utere tempore, velut re omnium pretiosissima, & particula boni diei non te prætereat. *Volat sæpius verbum irrevocabile* (inquit S. Bern.) *volat tempus irremeabile, nec advertit insipiens, quid amittat: libet fabulari, libet otiari, dicit, donec hora prætereat. O donec prætereat hora, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad adquirendam gratiam, ad promerendam gloriam miseratio Conditoris indulget! donec transeat tempus, quo debueras properare ad Angelicam societatem, suspirare ad amissam hereditatem, flere admissam iniquitatem.*



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

5 In omnibus actionibus, locutionibus, & cogitationibus dic tibi, monet Mellifl. Doct. *Itanè ageres, si hanc scires, procertò novissimam horam?* Et Doctor Angel. op. 62. *Diligentiam apponere debemus, ut singula opera nostra, & salus nostra, & omnis laus Dei, & universitatis utilitas quasi ex uno opere dependeat: quasi numquam ad id opus reversuri, neque aliud postmodum facturi.*

6 In omnibus operibus tuis præcellens esto: dum oras, benè ora: dum confiteris, cantas, laboras, fac singula, qua potes perfectione maxima, quia Deus non est remunerator verborum, sed adverbiorum. Imò omnia opera tua ita fac, ac si jam tibi sepulchrum foderetur.

7 In progressu cujusvis etiam minimi operis & colloquii sæpè cor tuum ad Deum eleva, ut inspiciat an illud ei placeat.

8 Ut verò semper collectus in Deo esse valeas, orationibus, quas jaculatorias nuncupant, frequentissimè per diem utere.

Quo-



9 Quotiescumque Domini Dei oblivisceris, ita ut magna pars transierit temporis, sine interiori ad eum motu & conversione; ingemisce, ac pugnis percute pectus tuum, cùm ille debeat solus esse unicus dilectus, & amor tuus totus, nec unquam ille tui obliviscatur.

10 Sæpiùs per diem Sanctos velut præsentes invoca, maximè Virginem Beatissimam, & SS. Patronos tuos cum Angelo Custode viæ duce & comite.

11 Si lapsus fueris in via, mox contritione resurge, & amore in Deum.

12 Ut omnes actiones & opera tua gratiora fiant Deo, demerge & depone illa sæpiùs in vulneribus Jesu, asperge illa sanguine cordis Jesu, offer per manus Beatissimæ Virginis, operibus & meritis Sanctorum unitas.

13 Dum aliqua occurrit occasio peccandi, protestare exnunc, quòd malis mori, malis in ipsum infernum descendere, quàm Deum tuum, summum & infinitum bonum vel minimo

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

mo peccato deliberato offendere.

14 Sæpiùs per diem excita in te desiderium corde ardenti videndi Deum in cœlo, illum cum Sanctis amandi & laudandi.

15 Dum in mentem occurrunt tibi peccata tua ante commissa, exnunc illa detestare tanquam rem summè detestabilem, exosam, execrandam; atque corde contrito dolens ejula, quia peccatis tuis amorem tuum Jesum tam graviter toties offendisti.

16 Deinde omnibus modis, quibus potes, te vilifica, te nihil reputando esse, sed credas omnes homines esse bonos, & meliores te, magisque placere Deo.

17 Ante omnia verò, semper primo mane per actum Intentionis, omnes cogitationes, verba & actiones illius diei etiam indifferentes, ad Dei gloriam dirige: quia non in magnis solùm actionibus amoris divini magnitudo reperitur, sed etiam in parvis, humilibus, & secretis existit. Amor inaurat & amplificat omnia. Et Jesus laudibus extollit viduam illam, quæ

duo



duo æris minuta contulit, & silentio præterit Salomonem, qui plus quàm bis mille milliones auri ad templi structuram contribuerat. Totum tempus hujus vitæ nobis concessum est ad merendum præmium æternum: ne igitur sine merito vel instans tibi elabatur, ipsa cibi potùsque sumptio, & omne aliud opus coram Deo meritorium erit, si S. Paulum monentem audieris 1. Cor. 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Curandum ergo tibi, ne unquam opera tua regat casus, sed ratio. Sunt enim aliqua opera, quæ de se non sunt meritoria, neque demeritoria; si tamen altiori intentione eleventur, evadunt meritoria.

### *Praxis rectæ intentionis.*

Recta intentio illa dicitur, quæ operis sui finem constituit Deum, & ad ejus honorem & gloriam revocat quicquid fit, dicitur, & cogitatur. Sicut respiratio vitæ naturali, sic recta intentio vitæ spirituali ne-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

necessaria est. Ea est anima & forma actionum: nam qualis intentio, talis est actio. Ne igitur opera tua impura & vacua in conspectu Dei inveniantur, puritati intentionis omni conatu insiste, nec quidpiam vel minimum aggredere, quin priùs actu ad Deum referas, tanquam ad primum principium, & ultimum finem tuum.

Signa rectæ intentionis hæc sunt. Non turbulenter rem aggredi, non anxium esse, non distrahi, non perturbari, ob rei eventum minus prosperum non affligi, nec aliorum judicia anxiè quærere, omni vana cogitatione post factum carere, opiniones hominum contemnere, æquè diligenter omnia facere, nec laudibus extolli, nec vituperiis dejici, resignatum ad omnia esse, nihilque optare, nihil timere.

Sed quia difficile est ob multiplicem humanæ naturæ fragilitatem perfectissimæ intentionis actum elicere, quin multis imperfectionibus permistus sit, remedium efficacissimum, & Deo gratissimum erit, tua quælibet opera, verba, & cogitationes, operi-



ribus, verbis, & cogitationibus Domini nostri Jesu Christi unire, ut in sanguine ac meritis ejus purificentur, & perficiantur. Sic autem unita, & purificata offeres Deo Patri in odorem suavitatis.

Considera deinde monitum illud Christi: *Quoniam oportet semper orare, & nunquam deficere*: hoc enim non aliter servare potes, quàm mediante recta intentione. Semper orat, qui semper benè agit: benè autem semper agit, qui per rectam intentionem omnia opera sua ad Deum refert. Res ista facillima est, & in tua potestate posita: quid enim facilius, quàm mente ad Deum elevata dicere: *Hoc propter te Domine, ad gloriam tuam?* Parva res est, sed ingens meritorum cumulus ab ea pendet; & si eam omiseris, quamvis multa agas, nihil egisti. Sine mercede est labor, qui caret recta intentione.

Ac-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Actus Matutini.

*In Jesum & Mariam primos oculos, somno evoluto, Viator aperiat, ac si præsentes, & suo lecto adstantes conspiceret: proinde prima quasi sit respiratio,* Jesus Maria. *Deinde paulò sibi factus præsentior dicat:*

O Jesu & Maria, mei dulcissimi amores, dono vobis cor & animam meam: totus sim vester, nullus meus in æternum. O Jesu candor lucis æternæ, Deus Deus meus ad te de luce vigilo. Anima mea desideravit te in nocte. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. O Domine, quia ego servus tuus, ego servus tuus, & mancipium ancillæ tuæ Mariæ.

*E lectulo surgens, seque muniens signo S. Crucis dicat.*

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

BEnedicta sit Sancta Trinitas, atque indivisa unitas, Pater & Filius,



lius, & Spiritus sanctus, confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

Benedictus sit Deus Pater, qui me creavit & conservat, Unigenitusque Dei Filius, qui me redemit, Sanctus quoque Spiritus, qui vocavit me.

Adoro, laudo, & saluto te dulcissimum & vernans cor Jesu Christi, & ex totis viribus cordis mei ago tibi gratias, quòd me hac nocte custodieris, Deoque Patri pro me laudes, & gratiarum actiones persolveris.

Immortales etiam vobis gratias ago SS. Virgo Maria, SS. Angeli & Patroni mei pro speciali tutela mihi, & omnibus in toto mundo hominibus hac nocte exhibita: benedicant & collaudent vos omnes omnium anhelitus & respiria; psallat cor nostrum vobis gratiarum canticum, ut semper, præsertim in agone nostro, à vobis adjuvari mereamur.

*Deinde petat benedictionem.*

BEnedic mihi hodie & quotidie, sancta & individua Trinitas. Bene-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nedic mihi ineffabilis potentia Patris. Benedicite mihi manus, & cor dulcissimum cum Filio Virginis Matris. Benedicat me virtus Spiritus Sancti.

Anima Virginis Mariæ lucidissima illumina me. Corpus Virginis immaculatissimum custodi me. Lac Virginis Mariæ nitidissimum pasce me. Fletus Virginis Mariæ in Passione Christi effusus confirma me. O dulcissima Parens, fons divinæ pietatis & gratiæ, intercede pro me. O Virgo Mater misericordiæ impetra mihi, ut à Filio tuo prævisam hodie implere possim mensuram meritorum meorum; ut casto, ac humili corde & corpore, Filio tuo & tibi in omnibus actionibus meis servire & placere valeam.

Sancte Michael Archangele, tuere nos in prælio, ne pereamus in tremendo judicio. S. Gabriel, S. Raphael, omnes sancti Angeli & Archangeli Dei succurrite mihi peccatori.

Rogo vos cunctæ Virtutes cœlorum, ut nullus inimicus mihi nocere possit, nec in via, nec in domo, nec dormiendo, nec vigilando, nec aliquid aliud faciendo.

O



O Crux Christi adjuva me: ò Crux Christi salva me: ò Crux Christi libera me: ò pretiose Sanguis Christi ne permitas damnari & perire me: ò purpurea vulnera Christi abscondite me.

O Sancti, Sanctæque Dei, omnes Sancti Innocentes, SS. Patriarchæ & Prophetæ, SS. Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, Sancti ad quorum Ecclesiam vivo, Sancti Angeli custodes status & officii mei, Sancti veteris testamenti orate pro me indignissimo peccatore.

Per merita Sanctorum Patronum meorum, per Crucem & pretiosum sanguinem Salvatoris mei Jesu Christi, per merita totius triumphantis & militantis Ecclesiæ, Sancte Deus, Sancte Fortis, Sancte & Immortalis miserere mei. A subitanea & improvisa morte, libera me Domine: à peccandi occasione: à carnalibus desideriis: à damnatione perpetua: à corde obstinato & in peccatis obdurato: à spiritu superbiæ: ab omni prava intentione: ab appetitu terrenæ consolationis: ab

appe-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

appetitu voluptatum temporalium : ab omni inani gloria : ab amaritudine, ira, & indignatione : à deliberato etiam veniali peccato, libera me Domine.

*Postulatio gratiarum.*

INclina autem tuam ad preces meas, Domine Deus refugium meum, & custodi me. Notam fac mihi viam, in qua ambulem, & doce me facere voluntatem tuam. Da cordi meo te desiderare, desiderando quærere, quærendo invenire, inveniendo perfectè amare. Expelle à me spiritum elationis, & extingue desideria carnis. Pone custodiam ori meo, ut non delinquam in lingua mea. Da patientiam in adversis, continentiam in prosperis, terrena despicere, & amare cœlestia. Auge in me fidem, spem, charitatem, & da thesaurum humilitatis tuæ. Deduc me in semitam mandatorum tuorum, & quod à me requiris ut faciam, tribue ut sciam. Tu scis, Domine, quid à te petere debeam; id tu mihi largire, quia omnia potes: in te enim confido, & scio quia non confundar.

*Ora-*



*Oratio.*

AD te, à quo sum, & per quem vivo, sentio, & intelligo, ad te summum bonum meum, qui es principium, & finis ultimus, ad te levo manus meas, & cor meum, Sancta Trinitas, unus Deus. Utinam te amore infinito dignissimum, perfectè amare valeam hodie, & omnibus diebus vitæ meæ. Dirige omnia verba, cogitationes, & opera ad majorem tui gloriam, & salutem animæ meæ. Da quod jubes, & jube quod vis. Credo, Domine, quicquid per Ecclesiam tuam Catholicam credendum proposuisti. Omnem spem meam in tua bonitate, & meritis Domini mei Jesu Christi repono. Commendo tibi omnes domesticos & familiares, consanguineos & affines, benefactores & adversarios meos: concede omnibus, & singulis quod scis eis expedire ad salutem mentis, & corporis. Da afflictis consolationem, infirmis sanitatem, peccatoribus veniam, justis perseverantiam, vivis pacem, & requiem defunctis.

*Ac-*

### *Actus ante Missam, vel Communionem.*

#### *FIDEI.*

QUis mihi det, suavissime Jesu, ut sub candido specierum Sacramentalium velamine vultum tuum intueri possim, in quem desiderant Angeli prospicere? Credo firmissima fide, te in augustissimo Sacramento corporis & sanguinis tui verè præsentem esse Deum meum, & Dominum meum. Hoc est compendium omnium mirabilium tuorum.

#### *SPEI.*

IN te solo spem meam colloco, dulcissime Jesu, quia tu salus & virtus mea, tu refugium & firmamentum meum, tu fons omnium bonorum. Quo modo enim auderem hoc tremendum sacrificium Deo Patri offerre, teque in eo suscipere, nisi fiduciam tu mihi præberes, qui me tuo sanguine redemisti? De tua igitur benignitate confisus accedo ad te. Miserere mei, & sal-



salva me, qui nunquam deseris sperantes in te.

#### *CHARITATIS.*

GRande quidem fuit, & admirabile opus amoris tui, quòd naturam nostram assumere dignatus sis; sed longè præstantius & mirabilius est, quòd transiturus de hoc mundo ad Patrem, corpus tuum in cibum & sanguinem in potum reliqueris: in illo siquidem nostram suscepisti humanitatem, in hoc tuam largiris Divinitatem. Amo itaque te, unicum solatium meum, unica spes languentis animæ, unica mea felicitas, & summum bonum meum. Ignem venisti mittere in terram: accende illum, ut semper crescat. Te enim amabo, si amandi vires præbueris, & eò amplius amabo, quò uberiorem amandi gratiam infuderis: nunquam tamen te amabo, ut dignus es.

### *Gratiarum actio.*

GRatias tibi ago, benignissime Deus, quòd me vilissimum pecca-

catorem admittere dignatus sis ad vivificum tuæ mensæ convivium. Memento verbi tui, in quo mihi spem dedisti. Tu enim dixisti: Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. O dulcissimum verbum! tu in me & ego in te. Ne patiaris ergo me sine fructu à te recedere, sed operare mecum mirabilia tua, sicut cum Sanctis tuis operatus es: & fac me ambulare in fortitudine cibi istius omnibus diebus vitæ meæ. Amen.

Anima Christi sanctifica me: Corpus Christi salva me: Sanguis Christi inebria me: Aqua lateris Christi lava me: Passio Christi conforta me: O bone Jesu exaudi me: Intra tua vulnera absconde me: Ne permittas me separari à te: Ab hoste maligno defende me: In hora mortis meæ voca me, & jube me venire ad te, ut cum Sanctis tuis laudem te in sæcula sæculorum. Amen.





*Modus visitandi quotidie augustissimum Sacramentum.*

NUllam efficacius instrumentum ad perfectionem, & unionem cum Deo, quam crebra per diem Salvatoris nostri Jesu Christi in augustissimo Eucharistiæ Sacramento latentis visitatio. Praxis autem hujus nobilissimi exercitii his fere monitis continetur.

Considera, & admirare incomprehensibilem Dei amorem erga te: non enim satis illi fuit sub speciebus Sacramentalibus suum tibi corpus & sanguinem, ipsamque divinitatem tam mirabili dignatione largiri; sed etiam usque ad consummationem sæculi in Ecclesiis asservari voluit, ut in omni necessitate certissimum subsidium, in omni tribulatione tutissimum refugium, in omni rerum eventu præsentissimum consilium in promptu haberes, ejusque præsentia, quantùm Viatori licet, perfruereris. Cum novis igitur divinæ gratiæ auxiliis semper



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

indigeas ad evitanda peccata, superandas tentationes, & virtutes exercendas; quid optatius tibi contingere potuit, quàm apertum accessum ad eum jugiter habere, qui potest te adjuvare, erudire, & consolari?

Accede igitur ad eum, & vide, & gusta quàm suavis est: & delectabitur in crassitudine anima tua; dabitque tibi petitiones cordis tui. Ingredere in locum Tabernaculi admirabilis confusione plenus, Christi præsentiam viva fide apprehende, ipsumque adora in spiritu humilitatis, & in animo contrito. Excita desiderium Deo ferventiùs serviendi, propone emendationem, & gratiam pete ad tui innovationem necessariam, atque ita te compone, ut illi placeas.

In recessu, à Christo Domino benedictionem petes, atque ei te ipsum, & omnes, pro quibus orare debes, obnixè commendabis.

*Actus diversarum virtutum.*

O Mi Deus! gratulor tibi & gaudeo cum tota Ecclesia de tua di-



divinitate, & gloria, de omnibus excellentiis, & perfectionibus tuis.

Adoro ex profunda abysso mei nihili infinitam Majestatem, Sanctitatem, Bonitatem, Potentiam, & Sapientiam. Adoro te Trinum & unum.

Adoro te, benedicte Jesu, in Deo Patre & Spiritu Sancto, verum Deum & hominem: in immaculata Virgine Matre tua: in omnibus Angelis & Electis: in cœlo & in terra: in speciebus venerabilis Sacramenti per totum orbem, & in justis omnibus.

Adoro te captum, flagellatum, desolatum, crucifixum: atque isto meo actu omnes alias adorationes, alios cultus, quibus hactenus affectus es, & quibus affici te conveniebat, uno fasciculo comprehensos tibi offero, & dedico.

Desidero, Domine, ut ab omnibus creaturis rationalibus adoreris, lauderis, & glorificeris.

Doleo de omnibus peccatis meis, & totius mundi, quæ contra te Deum meum quomodocumque unquam facta sunt, fiunt, fientque, eo affectu,



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quo Christus dolere me vult.

Pro omnibus, & singulis beneficiis tuis mihi, & omnibus aliis in vita, & post vitam præstandis, gratias ago, quantas possum, & quantas debeo.

Omnia bona opera, omnium hominum & Angelorum, quæ tibi Domine unquam placuerunt, vel adhuc placebunt, approbo, & tibi offero ad gustum tuum.

### Actus varii pro opportunitate temporis, & occasionis eliciendi.

#### *Ante recitationem Officii divini.*

ERubesco, Domine, cogitans quis tu, & quis sim ego: nempe audet vilis terræ vermiculus, & putris ranuncula è palude sua prorepere ad thronum gloriæ summi Dei. Egonè comparebo coram te, & loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis, & cinis; imò quòd gravius est, indignus, exosus, & ingratus peccator? Sed quia me, Domine, tam amanter invitas ad ora-



tionem, & colloquium tuum accedam.

Placeat tibi, Deus meus, hoc sacrificium laudis: & benignè digneris acceptare has preces, non ut à me procedentes, sed à te inspiratas, & sanguine Domini nostri aspersas. Per illas supplico tibi Deo meo, ut mihi largiaris peccatorum remissionem, dones augmentum gratiæ, & amoris tui. Esto propitius propinquis, amicis, & benefactoribus meis. Succurre illis, qui se meis precibus commendaverunt, converte miseros peccatores ad te. Revoca Hæreticos, & Schismaticos: illumina infideles omnes te ignorantes. Da animabus fidelium defunctorum lucem, & requiem sempiternam.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## *Pia Exercitia.*

De Passione Domini, & laude B. Virginis ad omnes Horas Canonicas, ab ipso Domino Jesu dictata S. Gertrudi.

### *Ad Matutinum.*

DOmine Jesu Christe, laudo te per cor tuum dulcissimum, in innocentia integerrimæ Virginitatis beatissimæ Matris tuæ, quâ ipsa te Virgo concepit, Virgo peperit, & post partum Virgo inviolata permansit: Et imitata est tuam innocentiam, quia tu hora matutina pro redemptione generis humani captus, ligatus, alapis, & fustibus cæsus, diversisque contumeliis, & opprobriis miserabiliter, & immisericorditer fuisti affectus.

Laudo & saluto te, Mater beatitudinum, dignissimum Spiritus sancti Sacrarium, per dulcissimum cor Jesu Christi, Dei Patris, tuique amantissimi filii, orans, ut in omnibus indigentiis, & in hora mortis nobis succurras. Amen.





### *Ad Primam.*

DOmine Jesu Christe, laudo te per cor tuum dulcissimum in humilitate illa placidissima, qua intemerata Virgo magis magisque habilitabatur ad te suscipiendum: Et imitata est tuam humilitatem, quâ tu Judex vivorum, & mortuorum, horâ primâ coram gentili homine judicandus adstare humiliter fuisti dignatus pro redemptione generis humani.

Laudo & saluto te &c.

### *Ad Tertiam.*

DOmine Jesu Christe, laudo te in desiderio illo ferventissimo, quo B. Virgo te Filium Dei de sinu Patris summi traxit in uterum suum virginalem: Et imitata est te in illo desiderio ferventissimo, quo salutem humanam desideravisti, cum duris flagellis cæsus, spinis coronatus, & horâ tertiâ Crucem ignominiosissimam tuis fessis, cruentatisque humeris cum sum-

ma mansuetudine, & patientia dignatus fuisti bajulare.

Laudo & saluto te &c.

*Ad Sextam.*

DOmine Jesu Christe, laudo & saluto te in spe illa securissima, qua cœlica Virgo per bonam voluntatem, & sanctam intentionem semper ad laudem tuam aspirabat: Et imitata est te, quia in alta Crucis arbore suspensus, inter ipsas amarissimas mortis acerbitates, totis viribus anhelabas ad humani generis redemptionem, unde, & clamabas: *Sitio.* In tantùm sitiebas salutem animæ humanæ, quòd si necesse fuisset, adhuc duriora, & amariora supplicia pertulisses, teque ad universa pro redimendo homine gratis paratum obtulisses.

Laudo & saluto te &c.





*Ad Nonam.*

DOmine Jesu Christe, laudo te in ardentissimo amore illo mutuo, scilicet, divini Cordis, ac intemeratæ Virginis, quæ divinitatem excellentissimam tenerrimè conjunxit, ac inseparabiliter counivit humanitati in utero virginali: Et imitata est te vitam viventium, horâ nonâ in Cruce præ amoris magnitudine morti amarissimæ succumbentem ob humanam redemptionem.

Laudo & saluto te &c.

*Ad Vesperas.*

DOmine Jesu Christe, laudo te in fide illa constantissima, qua B. Virgo sola tempore mortis tuæ, recedentibus Apostolis, & desperantibus universis, in vera fide perstitit immobilis: Et imitata est te in fidelitate illa, quâ jam mortuus, de Cruce positus, subsecutus es hominem, etiam usque ad limbum inferni: unde

ipsum omnipotenti manu misericordiæ tuæ eripiens, transvexisti ad gaudia Paradisi.

Laudo & saluto &c.

## *Ad Completorium.*

DOmine Jesu Christe, laudo te in perseverantia illa laudabilissima, quâ Mater tua dulcissima in omnibus bonis, & virtutibus perseveravit usque in finem: Et imitata est te tantâ diligentiâ opus humanæ redemptionis peragentem, quòd etiam post obtentam amarissima morte veram hominis liberationem, necdum omisisti corpus tuum incorruptibile humano modo tradere sepulturæ, ut demonstrares, nihil omninò esse tam vile, quod pro salute hominis recusares.

Laudo & saluto te &c.





## *In ipsa recitatione divini Officii.*

COnsideret, qui psallit, aut recitat, se officium Angelorum obire, quorum in cœlo perpetuum est exercitium Dei laudes celebrare. Sed ipsis exemplis meliùs demonstrari potest Officium divinum esse Angelorum officium.

S. Maria Magdâlena triginta annis ab hominum consuetudine sejuncta, quotidie septies ab Angelis elevabatur in altum, ad audiendas cœlestium Spirituum laudes, & cum illis persolvendas.

Sanctus Bernardus, in matutinis horis vidit Angelos, qui Fratrum orationes scribebant, aliorum quidem auro, aliorum argento, nimirum, qui devotè canebant; aliorum aquâ, videlicet tepidorum.

S. Guduvaldus Archiep. ambulans aliquando per mare, cùm preces in navi persoluturus inchoasset more Ecclesiæ dicens: *Deus in adjutorium meum intende*; Angeli subjunxerunt:



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*Domine ad adjuvandum me festina*, & ita totum Officium alternis vicibus cum Viro Dei persolverunt. *Surius 6. Jun.*

Unde Joannes Gersen loquens iis, qui in choro preces absolvunt, sic dicebat: *Chorus est Dei & SS. Angelorum locus sacratus; sicut Angeli in cœlo, sic ministri ordinati sunt in choro.* Sic ergo sta in choro, & canta inter Fratres, quasi in medio Angelorum stares ante Christum in dextera Patris residentem, vel ante beatissimam Virginem, Filium suum infantem in gremio gestantem.

Contra verò quantùm Deo displiceat negligentia in divino Officio, & præceps quædam celeritas, absque ulla ferè significatione reverentiæ, patet è vita S. Ludgardis, ubi divinitùs innotuit, pestem fuisse pœnam culpæ istius. Unde quamprimùm Horæ canonicæ cum reverentia sunt recitatæ, pestis cessavit, *Surius 26. Jun.*

Recentius est id, quod memoria prodidit Nebridius Canonic. Regul. S. Augustini, qui ait, Gratiano Ca-

puc-



puccino pio Novitio in templo noctè intempesta Deum oranti, Cœlites in cultu splendidissimo conspectos dixisse: Dicas Guardiano, ut curet in choro Horas canonicas lentiùs recitari, quia nihil in Ecclesia, post usum Sacramentorum, Deo gratius est recitatione Horarum canonicarum.

Jacobus Cardin. Vitriacensis ait, Sancto cuipiam visum dœmonem in humeris onustum sacco pleno sylabarum in Horis Canonicis celeritati præcipiti omissarum.

Justinum in extasim raptum anno 1547. narrat è Boverio Nebridius, pervenisse in Ecclesiam, cùm Religiosi matutinum Officium peragerent. Sperabat se auditurum concentum Angelorum: sed ecce nihil aliud percipere potuit, quàm horrendos latratus canum, grunitus porcorum, mugitus boum, & verba blasphemiæ. Mirabatur: Et vox ad eum: illorum Religiosorum preces, qui eas negligenter persolvunt, qui regulam negligunt, aliosque rectè viventes impediunt, nihil aliud esse quàm voces belluarum.

Ora-

*Oratio, quam Christus Dominus B. Gertrudem docuit, post Horas recitanda. Blos. Monil. cap. 3.*

O Bone Jesu, propitius esto mihi peccatori. Ego tepidum, distractum, & imperfectum servitium meum commendo mellifluo cordi tuo emendandum, & perficiendum: tibique ipsum offero, in unione illius attentissimæ orationis, quâ tu Patrem orasti, & laudasti in terris. Responde quæso, satisfac, & supple pro me plenissimè.

O piissima Mater, supple hoc imperfectum obsequium meum apud dilectum Filium tuum: monstra te esse Matrem.

O piissime Jesu, suscipe hoc idem de manu SS. Matris tuæ, unitumque tuis, ac ejusdem, omniumque Sanctorum meritis, offer æterno Patri.

S. Gertrudis ora pro me. Offer preces meas cordi Jesu, à quo has didicisti.

Af-



*Affectus post horas Canonicas, vel alias privatas Orationes eliciendi.*

O Pater misericordiarum, scio & verè cognosco, quòd me peccatorem miserum magis deceret coram te jacere prostratum, & cum fletu, gemitu, ac rugitu, peccatorum meorum veniam postulare, quàm te ore polluto laudare.

Ignosce Domine, ignosce pie Salvator, ignosce, & miserere. Noli me, tanquam temerarium reprobare, quòd audeam servus valde malus te omnipotentem Deum terribilem, ac nimis tremendum, sine cordis contritione, & lacrymarum fonte, sine reverentia, & tremore laudare.

Utique, Domine, Angeli te Dominum suum adorantes, & laudantes tremunt mira exultatione repleti: ego peccator, dum tibi assisto, laudes dico, peccatorum veniam postulo, cur non corde paveo, vultu palleo, labiis tremo, toto corpore inhorresco, sicque obortis lacrymis coram

ram te indesinenter lugeo? Volo, sed non valeo. O amor, vim patior! tu responde pro me, quia nescio quod dicam Deo vitæ meæ.

Et quia, mi Domine, non est speciosa laus in ore peccatoris; laudet te, Domine Deus, tua æterna Deitas, immensa Majestas, infinita Bonitas. Laudet te tua altissima Sapientia, tua latissima Misericordia, tua profundissima Justitia.

Tibi, Domine Deus meus, jubilet, & benedicat Humanitas Jesu C. Sanctissima ejus vita, divinissimæ ejus virtutes, pretiosus ipsius sanguis & lacrymæ, dirissima ejus vulnera & livores, cor illius apertum.

Jubilet tibi pro me Mater gloriosissima Filii tui, tabernaculum admirabile gloriæ tuæ.

Tibi, Domine Deus meus, cantet & jubilet SS. Mater Ecclesia, te honorent omnes psalmi, & preces, omnes ejus affectus & amores, omnia ejus vota & desideria, quibus ad te gemit in hac lacrymarum valle.

Jubilent tibi pro me omnes sancti Angeli, omnes Sancti & Sanctæ, omnis Electorum tuorum exercitus.



Jubilent tibi pro me, & audent te omnes creaturæ, & quæcumque cœli, terræ, & abyssi ambitu continentur.

Benedictum sit in omni loco totius universi nomen tuum, Domine, quod est sanctum, & laudabile, & gloriosum in sæcula.

Jubilent etiam tibi, & gratias agant cor meum, & anima mea, intellectus, memoria, & voluntas mea.

Nunquid enim, Domine, ideo te non laudabo, quia me indignum, & immundum esse agnosco?

Nonnè & vermes, & ranæ immundæ coaxitantes in paludibus suis, te suum creatorem laudare cupiunt, prout sciunt, & possunt?

O Domine amoris! quandiù halitus erit in ore meo, benedicam te Dominum meum in omni tempore, semper laus tua in ore meo. Lingua etiam deficiente, omnis respiratio mea sit laudis significatio. Corpore verò extincto, & in pulverem redac-

dacto, laudes tibi infinitas dicant minutissima quæque pulveris grana uſque ad extremum judicii diem.

### *Actus Antemeridiani.*

O Deus omnipotens, adorande, colende, tremende, ante cujus conspectum omnis Beatorum exercitus cum summa reverentia, & tremore procidit, teque jugiter adorat, reveretur, te contemplatur; quomodo & ego vermis immundus, canis mortuus, cadaver putridum: ego ingratissimus, & infidelissimus peccator, non tantùm coram te assistere, & nomen tuum laudare, sed ad tuæ divinitatis contemplationem, fruitionem, & unionem aspirare audebo?

O Domine, quia tanta tua est dignatio, ut velis, & gratum habeas à me adorari, & mecum colloqui; ideo ingredere in solitudinis meæ requiem, & concede, ut hic secus pedes tuos cum sancta amante tua Magdalena, discam modum ac rationem, quâ uni necessario sollicitè vacem, atque unicè intendam.



Excita me, Domine, ab omni negligentia, & sensuum evagatione. Da, ut in meditatione mea exardescat ignis. O si, ut ferrum igni, ita & ego uniar tibi amori meo.

At quomodo servus tam inutilis inveniet gratiam in conspectu tuo? Respice, ò Pater, in faciem Christi tui, in quo tibi benè complacuisti, in cujus nomine supplex rogo, ut clementer exaudias me.

### *Ut feliciùs tibi succedat Meditatio.*

Imprimis imaginare quasi cœlum apertum, & puta te videre Deum Patrem ibi Angelis circumdatum, atque considerantem, quidnam agere velis. Roga eum, ut auream sagittam adversum te dirigat, quâ cor tuum sancto amore suo vulneret.

2 Puta te videre Deum Filium cum vulnerum suorum cicatricibus mirificè radiantibus; deprecare eum, ut tuo pectori immittat guttam sanguinis sui, quâ cor tuum veluti vivo igne succensum, in amore divino incalescat.

3 Imaginare te contemplari Spiritum Sanctum sole longè splendidiorem; roga eum, ut ad te candidam grat æ suæ columbam demittat & inflammet cor tuum.

4 Pinge te à latere obtueri Virginem beatam stellis coronatam; ei cor tuum præsenta, ut ipso Filio suo offerat.

5 Imaginare denique te cernere innumeras beatorum Spirituum phalanges, qui ei mysterio, quod contemplaturus es, assistent. Tu verò postea perge ad pedes Jesu, assumpta similitudine vel servi ingrati, vel proditoris, vel exilio damnati, &c.

*Post Meditationem.*

*Te Deum laudamus*, vel Collectæ consuetæ cum versibus recitentur.

*In ingressu Ecclesiæ.*

ERgonè credibile est quòd verè Deus habitet super terram? si cœlum, & cœli cœlorum te capere non



non possunt, quantò minùs hæc domus?

Domine, in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitemur nomini tuo.

Omnes Sancti, & Sanctæ Dei, quorum reliquiæ, & imagines hìc sunt, saluto & veneror vos: intercedite obsecro pro me.

Salvete omnes Christi fideles animæ: det vobis requiem ille, qui est vera requies, Jesus Christus Filius Dei vivi: ille benedicat vos, & à pœnis liberet, faciatque resurgere in die judicii, Angelisque suis sociari.

*Visitando SS. Sacramentum.*

COram te, ò Santissimum Sacramentum, cum summa reverentia procido, & cum omnibus Angelis, & Archangelis, cum Thronis, & Dominationibus, cumque omni militia cœlestis exercitus hymnum gloriæ tuæ concino, dicens: Centies millies laudetur sanctissimum Altaris Sacramnetum,

Cre-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ALERE FLAMMAM VERITATIS UANL ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Credo, mi Jesu, firmissimè, quòd sub his speciebus tu Dominus meus, & Deus meus contineris. Innovo & offero tibi omnes affectus, & actus adorationis, salutationis, & recognitionis hic & ubique elicitos, & impensos; & non tantùm hic, sed in omnibus Ecclesiis per totum mundum existentibus.

Gratias tibi, Domine, pro thesauris omnibus beneficiorum, quos hic aliquando effudisti, & effundes. Doleo de omnibus peccatis, & irreverentiis, quibus aliquando in hoc loco offensus es, & offenderis.

Vos verò Sancti Angeli, SS. Patroni, ad quorum Ecclesiam vivo, & in qua sepeliar, adorate, magnificate pro me istum Dominum meum hic præsentem, omni modo, omni tempore, in æternum.

*Pra-*



## *Praxis offerendi Sacrificium Missæ cum Sacerdote celebrante.*

SUscipe, clementissime Pater, hoc SS. Missæ Sacrificium à Sacerdote celebrandum, in unione illius SS. Sacrificii, quod Christus in ultima cœna, ac demum in ara Crucis tibi obtulit. Et imprimis.

In gratulationem de infinitis thesauris gloriæ, quos habes in te, & à te.

In adorationem & amorem, quo in æternum cupio amare te propter te.

In gratiarum actionem pro beneficiis omnibus, quæ habeo, & quæ habent omnes creaturæ à te.

In satisfactionem omnium peccatorum, quibus unquam offensus es.

Im impetrationem gratiæ illius, quam mihi nunc, & in ultimo puncto vitæ meæ maximè necessariam scis esse, ut veniam ad te.

In impetrationem gratiæ tuæ omnibus in horrendo mortalis peccati

sta-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

statu existentibus, omnibus in agone luctantibus, peregrinantibus, viduis, orphanis, benefactoribus.

In auxilium animarum Purgatorii, præcipuè N. ut levamen pœnarum consequantur.

### *Praxis Communionis spiritualis.*

ITA est, Domine Jesu, indignissimus sum: quia omnibus peccatoribus, & ipsis damnatis deterior sum, indignus omni bono, & dignus omni malo. Sto tamen pauper & inops ad mensam magni Regis, & amantissimi Patris mei, tuam Christe Jesu, & credo tibi, ò æterna veritas, quòd verè è summo cœlorum ad verbum Sacerdotis, ut me visites, venire dignatus es: veruntamen conscius infirmitatis meæ, & peccatorum meorum, de quibus propter te vehementer doleo, non audeo sacramentaliter suscipere te; sed dico ex amore tui cum Centurione: Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum; sed per os Sacerdotis



tis veni, amantissime Jesu, in animam meam. Munda, quæso, illam à malis omnibus, & imperfectionibus, orna bonis & virtutibus.

### *Actus petitionis pro statu Ecclesiæ.*

O Pater misericordiarum, respice in faciem Christi tui, qui clamore valido, & lacrymis interpellat pro Sponsa sua Ecclesia, Matre nostra.

Ecce, mi Pater, profusus ille corporis sudor, horrendæ capitis spinæ, calidi fontes oculorum, clavi manuum & pedum, livores & vulnera, & vox sanguinis fratris nostri Jesu Christi clamat ad te de Cruce.

Audi, ò Pater: ad hujus suspiria, & gemitus moti sunt cœli, scissi sunt lapides, & tenerrima misericordiæ tuæ viscera non flectentur?

Protege & defende, Pater clementissime, populum tuum contra hostium ferociam. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi, & animas pauperum tuorum ne projicias in finem.

 Cus-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Custodi omnes, Domine, & conserva, qui te sincero corde, & ore confitentur, ne à falsis Prophetis, qui veniunt in vestimentis ovium, intus autem sunt lupi rapaces, seducantur: coerce potentiam illorum, machinationes detege, & consilia adversus Ecclesiam tuam dissolve.

Da Fidelibus tuis, misericors Domine, ut in pace, & tranquillitate, ac unione incesanter amemus & laudemus te, ut doctrinam tuam agnoscamus, teque ad mortem usque constanter sequamur.

### *Deprecatio pro felici successu sacræ Religionis.*

DOmine Deus Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est, qui possit resistere tuæ voluntati, si decreveris salvare, & conservare nos indignos servulos mille tibi votis, ac desideriis mancipatos. Tu fecisti cœlum & terram, & quicquid cœli ambitu continetur, Dominus omnium tu es, nec est qui re-





resistat Majestati tuæ. Et nunc Domine Rex, Deus Patrum nostrorum, miserere Congregationis tuæ, quam possedisti ab initio.

Ne despicias, Domine, partem tuam, & hæreditatem tuam, quam tuo sanguine acquisivisti. Exaudi deprecationem meam: intende oculos pietatis tuæ in omnes Religionis nostræ Præsules & Pastores, & fac eos super commissum sibi gregem fideliter excubare.

Converte oculos tuos misericordes in omnes Religiosos servos tuos, & fratres nostros, quos de hoc sæculo nequam eripuisti, ad te benignè traxisti, ut hæreditatem capiant salutis. Da illis in virtute & vocatione profectum, & in cunctis fervorem accende. Da, ut viventes per totum mundum laudemus nomen tuum, Domine, & ne unquam claudas ora te canentium, Domine Deus noster.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

### Poſtulatio gratiarum.

SIquidem, bone Jeſu, ſine gratia tua nihil boni fieri poteſt: quocirca peto à te dona, & auxilia ad meam, & proximorum ſalutem procurandam neceſſaria. Peto auxilium gratiæ habitualis ſanctificantis. Peto continuas gratias efficaces, excitantes, & cooperantes. Peto intenſiores habitus virtutum, fidei, ſpei, charitatis, juſtitiæ, prudentiæ, temperantiæ, & fortitudinis.

Largire dona, & fructus Spiritus ſancti: largire opera miſericordiæ ſpiritualis, & corporalis. Largire etiam gratias gratuitas ad ſalutem proximorum, & amplificandam gloriam tuam. Tribue gratiam orationis mentalis & vocalis, examinis utriuſque, frequentis recollectionis, ſilentii, intimæ tecum unionis, pietatis erga Virginem beatiſſimam, cultus erga SS. Patronos.

Concede, ut perfectè obſerventur Regulæ, & vota paupertatis, caſti-



tatis, & obedientiæ. Auge in me amorem vocationis, & da mihi ſpiritum ſtatus, & aptitudinem ad omnia ejus munia peragenda. Da virtutes ſolidas humilitatis, mortificationis heroicæ, & abnegationis in omnibus, ſitim inſatiabilem contemptus, & injuriarum. Da, ut nunquam te peccato mortali, & veniali deliberato offendam. Da vitam plenam meritis, & tuo amore ferventem. Da perſeverantiam in Religione, & felicem in optimo animæ meæ ſtatu mortem.

### Petitio brevior.

℣. *Confirma hoc Deus quod operatus eſt in nobis.*

℟. *A templo ſancto tuo quod eſt in Jeruſalem.*

### ORATIO.

DEus, qui nos à ſæculi vanitate converſos ad bravium ſupernæ vocationis accendis, pectoribus noſtirs purificandis illabere, & gratiam nobis, qua in te perſeveremus infun-

de: ut protectionis tuæ muniti præsidiis, quod te donante promisimus, impleamus, & nostræ professionis executores effecti, ad ea, quæ perseverantibus in te promittere dignatus es, pertingamus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

*Actus ad Virginem beatissimam, & Sanctos Patronos.*

Formula dedicandi se beatissimæ Virgini.

SAncta Maria Mater Dei, & Virgo immaculata, Ego N. peccator vilissimus, undequaque purissimo conspectu tuo indignissimus, impulsus desiderio tibi serviendi, ac fretus pietate tua singulari, coram benedicto Filio tuo, & Curia cœlesti universa, dedico me tibi hodie in servum, & mancipium tuum, eligoque te in singularem meam Dominam, Matrem & Advocatam, & firmiter propono, me nunquam te derelicturum, neque contra te aliquid unquam dicturum, sed semper tuum honorem defensurum.



Te itaque, Virgo sacrosancta, per sanguinem unigeniti Filii tui Jesu Christi oro, ut me inter alios tibi devotos in servum perpetuum admittere digneris, adsisque mihi in omnibus necessitatibus meis, & super omnia non me deseras in hora mortis meæ.

*Christus proprio ore dictavit in Regula Salvat. cap. 5. has duas Orationes.*

OMnipotens sempiterne Deus, qui pro nobis de castissima Virgine nasci dignatus es, fac nos, quæsumus, tibi casto corpore servire, & humili mente placere.

ORamus te, piissima Virgo Maria, mundi Regina, & Angelorum, ut eis, quos purgatorius examinat ignis, impetres refrigerium, peccatoribus indulgentiam, justis in bono perseverantiam, nos quoque fragi-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

giles ab inſtantibus defende periculis. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

*Beatiſſima V. M. hæc dixit S. Birgittæ, lib. 1. ejus Revelat. cap. 8. Sic laudare debes me.*

BEnedictus ſis tu Deus creator omnium, qui in uterum Mariæ Virginis deſcendere dignatus es.

Benedictus ſis tu Deus, qui cum Maria Virgine eſſe ſine gravamine voluiſti, & de ea immaculatam carnem ſine peccato ſumere dignatus es.

Benedictus ſis tu Deus, qui ad Virginem cum gaudio animæ ejus veniſti, & ſine peccato de ea proceſſiſti.

Benedictus ſis tu Deus, qui Mariam Virginem Matrem tuam poſt Aſcenſionem tuam crebris conſolationibus lætificaſti, & per te ipſum eam conſolando viſitaſti.

Benedictus ſis tu Deus, qui corpus, & animam Mariæ Virginis Matris tuæ in cœlum aſſumpſiſti, & ſuper omnes Angelos juxta Deitatem tuam



tuam honorificè collocaſti: miſerere mei propter preces ejus.

*Devota ad V. B. commendatio.*

MEmorare piiſſima, & glorioſiſſima Virgo Maria, Mater miſericordiarum, & totius conſolationis, à ſæculo non eſſe auditum, quemquam ad tua præſidia currentem, tua implorantem auxilia, aut tua petentem ſuffragia à te, Virgo Maria, derelictum. Idcircò tali animatus fiducia, ad te Virgo Virginum, Regina Cœlorum, & Domina Angelorum, ò Maria Mater Domini noſtri Jeſu Chriſti, confugio, ad te Stella maris curro, coram te miſer gemens, & tremens aſſiſto.

Noli, ò Domina mundi, clementiſſimas aures tuæ pietatis ob ingratitudinem meam, ad clamorem meum claudere. Noli, Mater omnium, ab omni benignitate me excludere: ſed benignè fac mecum propter nomen ſanctum tuum. Noli porta cœli ob ſcelera mea jugiter obſerari: ſed re-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

porta me ad portam gratiæ, à qua ingratus exivi, per quam tu mundo vitam, & salutem reportasti.

Noli, Regina gloriæ, ob tuæ celsitudinis gloriam, mei peccatoris oblivisci; sed memor esto fragilitatis meæ, & adjuva me propter magnitudinem gloriæ tuæ. Noli solitam pietatis tuæ manum retrahere, sed tollle quod metuo, largire quo careo, indulge quod offendo. Noli æterni Verbi Mater verba mea despicere; sed audi propitia, & exaudi me miserum ad te in hac lacrymarum valle clamantem, nunc, & semper, & in hora mortis meæ: O clemens, ò pia, ò dulcis Virgo Maria.

*Pro felici morte ad Beatiss. Virg.*

O Dulcissima Jesu Mater Virgo Maria, Patrona mea, visceribus misericordiæ plena, succurre mihi misero peccatori, antequam mors subitanea, & improvisa superveniat, ne subitò, & imparatus de hoc mundo transeam.

Ora



Ora pro me Maria Virgo benedicta ob unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi passionem ac mortem amarissimam, ut peccati detestatione, diaboli & operum ejus abrenuntiatione, vera contritione, pura & humili confessione, pœnitentiâ & satisfactione, digna Dei acceptione, & proximi dilectione, Filio tuo reconciliatus de hoc mundo transeam.

Et fac mecum misericordiam tuam, ò B. V. M. Mater Dei, in illa tremenda hora, quando spiritus vitales deficient, & mortua lingua non poterit invocare te, neque oculi mei lucem capere, auresque meæ nulli voci patescent. Memor esto, ò Maria, precum, quas nunc fundo ad aures tuæ pietatis, & subveni mihi in illa ultima hora necessitatis meæ, ut liber à ministris diaboli, collocer cum Christi fidelibus Filii tui servis & amicis. Amen.

Ad

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## *Ad SS. Angelos, & SS. Patronos.*

Omnes Sancti Angeli, & Archangeli. Omnes Sancti Troni, & Dominationes. Omnes Sanctij Principatus, & Potestates. Omnes SS. Virtutes cœlorum. Omnes SS. Cherubim, & Seraphim. Omnes SS. Patriarchæ, & Prophetæ. Omnes SS. Apostoli, & Evangelistæ. Omnes SS. Martyres, & Confessores. Omnes SS. Episcopi, & Doctores. Omnes SS. Sacerdotes, & Levitæ. Omnes SS. Monachi, & Eremitæ. Omnes SS. Virgines, & Viduæ. Omnes SS. Conjugati, & Innocentes. Omnes Sancti, & Sanctæ Dei. Et præsertim, S. Michael, S. Gabriel, S. Raphael, S. Petre, S. Paule, S. Joannes, S. Andrea, S. Benedicte, S. Bernarde, S. Augustine. S. Dominice, S. Francisce, S. Ignati, S. Antoni, S. Casimire, orate, & intercedite pro me indigno peccatore: vestrâ me tutela undique hostibus irruentibus vallare, ut non accedat ad me malum, & flagellum



lum non appropinquet tabernaculo meo. Venite in subsidium fortissimi Athletæ, ut auxilio vestro ultionem videam ex inimicis meis, & vobiscum in æternum laudem, & glorificem Dominum Deum nostrum in terra viventium, Amen.

## *Ad Angelum Custodem.*

Angele Dei sacratissime, mihi à Deo in custodiam deputate, gratias tibi ago pro omnibus beneficiis, quæ mihi in corpore, & anima unquam exhibuisti.

Laudo & glorifico te, quòd mihi miserrimo tam fideliter astare, atque me contra omnes hostium insultus tueri digneris.

Benedicta sit illa hora, quâ mihi in custodiam datus, & in defensorem atque Patronum deputatus es.

Benedicta sit tua in me charitas, omnisque tua sollicitudo, quâ salutem meam promovere non cessas.

In recompensationem omnium obsequiorum mihi à juventute exhibito-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

torum, offero tibi nobiliſſimum Cor Jeſu Chriſti: rogans mihi ignoſci, quòd toties ſanctis tuis inſpirationibus renitendo te contriſtaverim: firmiter nunc propono tibi obedire, Deóque meo fideliter ſervire.

*Ad S. Joannem Evangeliſtam pro conſervanda caſtitate.*

A*Ntiphona.* Iſte eſt Joannes, qui ſupra pectus Domini in cœna recubuit: beatus Apoſtolus, cui revelata ſunt ſecreta cœleſtia. ℣. Hic eſt diſcipulus. ℟. Quem diligebat Jeſus.

*ORATIO.*

PEctoris illius delicias, & diviniſſimi cordis dulcedinem, ſupra quod feliciſſimè recubuiſti S. Joannes, ad nos quoque famulos tuos feliciter extende; ut abjectis mundi illecebris, in puro Chriſti amore quieſcamus. Per &c.





*Ad S. Joſephum.*

A*Ntiphona.* Salve Patriarcharum decus, & Eccleſiæ ſanctæ Dei Œconomus, qui panem vitæ, & frumentum Electorum conſervaſti. ℣. Ora pro nobis caſtiſſime Joſeph. ℟. Ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

*ORATIO.*

VIrginum Cuſtos, & Pater S. Joſeph, cujus fideli cuſtodiæ ipſa innocentia Chriſtus Jeſus, & Virgo Virginum Maria in terris commiſſa fuit; te per hoc utrumque chariſſimum pignus tuum Jeſum & Mariam obſecro, & obteſtor, ut me ab omni immunditia præſervatum, mente incontaminata, puro corde, & caſto corpore, Jeſu & Mariæ ſemper facias caſtiſſimè famulari. Per &c.

*Votiva ad eumdem Sanctum.*

SAnctissime Joseph, Mariæ Matris Dei & Virginis Sponsæ, periclitantium & agonizantium advocate, Ego N. te hodie coram Jesu, & Maria Sponsa tua, in Dominum Patronum, & advocatum pro tota vita mea, & morte eligo, firmiterque statuo ac propono, me nunquam te derelicturum, neque contra te aliquid unquam dicturum; neque permissurum, ut aliquid contra tuum honorem unquam agatur.

Suscipe me ergo in servum tuum, & me Mariæ Sponsæ tuæ in perpetuam protectionem, & in æternis Jesu misericordias commenda: adsis mihi in omnibus actionibus meis, quas omnes offero in perpetuum, ad majorem Jesu, Mariæ, & tuam gloriam, nec me deseras in hora mortis, ad quam te nunc sanctum Patronum invito: ut tunc, quod possibilitas mea non obtinet, tui mihi intercessione donetur per Jesum Deum animæ meæ.

Gra-



Gratias tibi Deus meus, pro omni donorum thesauro, quem in Jesum, Mariam, & S. Josephum effudisti.

Gratias tibi ago, dulcissime Jesu, & tibi SS. Virgo Maria, pro omni amore & benevolentia, ac honore, quo sanctum Josephum complexi estis.

Gratias tibi SS. Joseph pro omnibus laboribus, & doloribus, quos pro Jesu, & Maria libentissimè sustinuisti.

Gratias vobis, omnes Sancti, & Sanctæ Dei, qui peculiari studio Jesum, Mariam, & Josephum coluistis: adeste mihi vos omnes unà cùm Jesu, Maria, & Josepho semper, sed potissimum hinc migranti.

Per merita agni immaculati Jesu Christi, ex quo est fons omnis puritatis, & per immaculatam Conceptionem, SS. Virginitatem, & innocentissimam puritatem beatæ semper Virginis Matris Dei Mariæ, & intercessionem castissimi Sponsi ejus Josephi emundetur, & immacula-

tum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tum conservetur cor, & corpus meum.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

### *Ad S. Barbaram.*

Henricus Koch ad ossa usquè exustus, sequenti oratione meruit esse superstes. *Sur. 4. Dec.*

O Samtissima Virgo Barbara, quodcumque Sponsi tui viribus potes, mihi in mortis articulo, obsecro, ut suppedites; adjuva me miserum, ne in peccatis moriar: effectum tunc habeat tua intercessione primitus à Christo tibi facta promissio, cùm fidem ejus tuo sanguine consecrares. Redeat in memoriam Sponso tuo virgineus collo tuo exuberans sanguis: recordetur ardentissimæ tuæ charitatis, nec animam meam à corpore exire permittas, nisi confessione expiatam, & SS. Eucharistiæ Sacramento refectam. Amen.





### *Ad S. Patronum, cujus nomen in baptismate sortitus es.*

O Beatissime N. Patrone fidelissime, invictissime miles purpurati exercitus, substerno me tibi in servum perpetuum: commendo vitam, & mortem meam, maximè autem extremum spiritum meum.

Obsecro, mi Patrone santissime, per amorem, quo tam ferventer Deo adhæsisti, ut nunc liberari possim à cunctis malis animæ & corporis, ac te duce & comite, securior pervenire merear ad vitam æternam.

O Deus omnipotens & misericors, nomen meum mellifluo nomini tuo digneris subscribere in libro vitæ, & qui me famulum tuum Sancti tui N. nomine voluisti gaudere, da, ut in omnibus tibi placitis ejus vestigiis insistam, & tandem cum illo beatissimam faciem tuam contemplari valeam.

### *Modus honorandi quemcumque Sanctorum in ejus festivitate.*

O Deus æterne, infinitarum perfectionum Author, adoro te creatura tua, ut supremum rerum omnium Dominum, & principium omnium donorum, naturæ, gratiæ, & gloriæ, quibus Sanctum N. in terra ornasti, & nunc ornas in cœlis.

Gratias tibi bone Jesu, gratias Sanguini tuo, ex quo omnia Sancti hujus merita fluxerunt.

Gratias tibi, ò Patrone fidelissime, ob illum amorem, quo divinam Majestatem olim in terris, & nunc amas in cœlis. Gratias tuo benedicto cordi, gratias sanguini (si est martyr) quem effudisti.

Gratias ob tot exempla virtutum nobis relicta, & beneficia multis per merita tua collata.

Benedicta sit B. V. Maria, benedicti Sancti Patroni, & Angeli custodes, quorum ope ad hanc paradisi gloriam pervenisti.

Con-



Confundor & erubesco, quòd vitiis meis sim adeò tibi dissimilis, & præsertim tuæ puritati.

Recipio te in Patronum & Advocatum meum, ac me tibi trado in servum, & clientem in vita & in morte.

O S. Patrone cœli Princeps, per amorem Jesu & Mariæ, impetra Ecclesiæ sanctæ pacem, omnium Infidelium, Hæreticorum, ac peccatorum conversionem.

Offero tibi, ò SS. Trinitas, merita omnia SS. Patroni mei ad gustum divinissimi cordis tui, & gaudeo de omni amore & servitio, quod exhibuit tibi fidelis iste servus tuus.

Offero preces omnes, quæ in ejus honorem funduntur, ut ante tribunal tuum, altissime Deus, præsententur, & per eas mihi benefacias.

Gratulor tibi, ò Patrone, de omni honore & cultu, quem in terra habes, & quem in regno gloriæ consecutus es.

Ad-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

### *Actus Antemeridiani.*

MEmento Domine, per viscera misericordiæ tuæ, per merita Filii tui, per merita beatissimæ Virginis Mariæ, ac omnium Sanctorum Electorum tuorum & imprimis Ecclesiæ Sponsæ tuæ: auge in ea fidei puritatem, & labore virorum Apostolicorum dilata eam toto orbe terrarum.

Da summo Pontifici nostro N. Spiritus sancti abundantiam, ut populo sibi commisso verbo, & exemplo prælucear. Intende oculos pietatis tuæ in Universos Ecclesiæ Præsules & Pastores, & fac eos super gregem sibi commissum fideliter excubare.

Adesto Parochis, Presbyteris, & omni Clero, ut nulli præbeant scandali occasionem, diligant puritatem, & ea sequantur, quæ pacis sunt.

Esto propitius omnibus Religiosis, da illis continuum in virtute profectum, votorumque ac regularum exactissimam observantiam. Da huic domui



mui bonorum temporalium sufficientiam, & spiritum excita in Prælatis nostris, & in cunctis fervorem accende.

Effunde miserationes tuas Domine Princeps Regum terræ, in omnes Reges, & Catholicos Principes, eisque tribue in obedientia fidei, & Ecclesiæ perseverantem famulatum, subditorum curam, justitiæ zelum, & observantiam mandatorum tuorum.

Da virginibus continentiam, & castitatem, conjugatis sanctimoniam, pœnitentibus indulgentiam, viduis & orphanis sustentationem, peregrinantibus reditum, navigantibus portum, justis perseverantiam, bonis ut meliores fiant, tepidis ut fervescant, malis & peccatoribus, qualem me dolens esse confiteor, ut convertantur.

Conserva cœlum in salubritate, terram in fertilitate, mundum in providentia ex omni parte sufficienti.

Respice omnes ægrotos, tentatos, afflictos, agonizantes, incarceratos, & in aliquo periculo, vel necessitate constitutos: da illis auxilium & con-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

consolationem, prout expedit ad gloriam tuam, & salutem illorum.

Miserere Domine omnium consanguineorum, affinium, amicorum. Miserere inimicorum meorum, quos intimè amore tui diligo. Miserere omnium, quos ego scandalizavi, & offendi.

Respice etiam, clementissime Domine, Paganos, Turcas, Idolatras, Hæreticos, Schismaticos, Judæos, & gentes omnes à fide alienas: collustra eas, Domine, veritatis tuæ splendore, ne pereant tot imagines tuæ, pro quibus pretiosus Filii tui sanguis effusus est.

Memento demum, Rex æterne, cui omnia vivunt, animarum omnium fidelium defunctorum, præcipuè earum, quæ suis carent suffragiis, & pro quibus orare teneor: Extingue earum ardorem optato rore misericordiæ tuæ, & citò purgatas in conspectum tuum admitte.

Pro me ipso tandem infelicissimo peccatore clementiam tuam humillimè imploro. Miserere mei secundùm





magnam misericordiam tuam. Dona mihi virtutes statui meo necessarias. Da terrena despicere, & amare cœlestia.

*Actus Meridiani.*

O Candor lucis æternæ, Domine mi Jesu! ò ignis, qui dulciter ardes, secretè luces, suaviter odoras! quando nox ista sicut dies illuminabitur, in qua tuo in lumine videbo lumen tuum?

O quando veniet dies illa, cui nox non succedit, quæ temporum vices nescit, sed semper lucet, & diescit!

Quando mi suavissimè Jesu, flammis tuæ immensæ charitatis inflammatus ego te solo, & te solum ardere incipiam? quando ardescet pigrum frigus meum igne tuo, & accensus in te, parvus erit mihi omnis amor, quo creatura quævis diliget te? quando, mi Jesu, vitali amoris tui morte moriar, & in igne tuo consumptus favillescam, abiboque in cineres dilectionis tui?



UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

O Domine, quando ero tuus totus, & tu meus? quando suspensus de te, deficiam à me, & transibo in te? quando in loco tabernaculi admirabilis reficiar in admiratione gloriæ tuæ? quando gustabo, & videbo quàm suavis sis, Domine Jesu?

Quanti mercenarii abundant in domo patris mei panibus, & ego hic fame pereo! ò si citiùs possem surgere, & ire ad Patrem meum! Quamvis verò iste panis non sit dandus canibus, quorum unum me meum facit peccatum; attamen & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.

O Deus cordis mei! quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te fontem vivum.

Quis indicabit mihi, quem diligit anima mea, ubi pascat, ubi cubet in meridie? & quando requiescam in meridie illo, meridie jucunditatis, & lætitiæ? O meridies præclarus, & pulcher, nesciens vesperum, non habens occassum?





Veni suspirata quies amantis animæ meæ, ut nulli mihi dies, nullæ noctes eant sine te: te solum esuriam, & sitiam, qui pascens inter lilia, mi Jesu suavissime.

### *Actus Pomeridiani.*

O Bonitas, ò misericordia mea, Deus meus! quid retribuam tibi pro omnibus, quæ tribuisti mihi? en vilissimus terræ vermiculus immensas tibi gratias ago.

Quia ex æternitate vidisti, & dilexisti me (ut de tua misericordia spero) me ad gloriam tuam efficaciter elegisti, & per convenientia media ad eam prædestinasti.

Quia per creationem me ex nihilo condidisti, ad tuam imaginem, & similitudinem fecisti, & innumeris donis in anima & corpore ditasti.

Quia me, & omnia propter me tam longa duratione conservas, sine cujus actuali concursu in nihilum rediremus, nec possemus uno momento subsistere.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Quia me pretioso vulnerum tuorum sanguine redemisti, & per merita ac passionem tuam à servitute diaboli liberasti.

Quia me cum paucis respectu multorum ad Ecclesiam tuam, & ad tui cognitionem & obsequium vocasti.

Quia me cum paucissimis ad statum religiosum, & ad hunc amabilissimum, quem profiteor, misericorditer adduxisti.

Quia Sacramentis, inspirationibus, Sanctorum exemplis, spiritualibus libris, & aliis plurimis mediis ad bonam vitam adjuvisti, & adjuvare non cessas.

Quia me ab innumerabilibus periculis perdendi gratiam liberasti, & liberare non desinis.

Quia plurimis donis tum internis, tum externis, tum naturæ, tum gratiæ ditasti.

Quia mihi (ut spero) ab æterno certum, secundùm tuam prædestinationem, gradum gloriæ efficaciter præparasti.

Quia me hodie ad orationem, & tui



colloquium admisisti, prætioso corpore & sanguine satiasti, & per totam vitam infinitis aliis beneficiis, ac postea per totam æternitatem afficies.

Insuper gratias tibi, Domine, quia cujusvis benignè provides corpori, & animæ, & das escam omnibus in tempore opportuno. Neque tantùm hominibus, sed & jumentis das escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus te. Ergo pro omnibus & in omnibus sis benedictus in æternum.

### *Actus Antevespertini.*

O Æterne Deus, principium sine fine! scio, & verè cognosco, quia corpus meum in dies ruinam minatur, mors semper insidiatur, & mox post lucem in tenebris æternam lectulum meum: ideo dum clauduntur oculi mei, lingua etiam mea, & cor meum in tuis deficient laudibus. Proinde, mi Deus, quia te vitam meam, centrum cordis mei, unicum animæ meæ delicium, in se-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

pulcro dormiens, & putrescens, non amplius laudare, & amare potero: ideo omnia bona opera, post exitum meum e vita hac, tibi in toto mundo impendenda, nunc offero, dono, & dedico.

Præcipue offero tibi, mi Deus, omnium sanctorum Angelorum, ac hominum laudes tui, adorationes, amores, & omnes actus bonos, tibi sive in via, sive in patria exhibendos.

Offero omnium Electorum tuorum persecutiones, dolores, mortificationes, & omnia martyria. Omnia demum Sacrificia in toto orbe celebranda.

Insuper, dilecte Jesu, hoc adjicio desiderans corde affectuoso, ut quando corpus meum fuerit in pulveres minutissimos redactum, & lapide clausum, ut, videlicet, de qualibet particula minutissima vox amœna laudis, & intensissimi amoris tui exurgat, quæ durissimum lapidem penetrans, cœlorum altitudinem transcendat, & usque ad extre-



tremum judicii diem vivæ laudis præconium extollat; donec in resurrectione beata corpus & anima pariter unita, in tuæ laudis glorificatione copulentur.

*Actus euntis dormitum.*

Credo, Domine, quicquid de te credit S. Romana Ecclesia, & quicquid illa damnat ego damno, & anathematizo, imò pro hac fide sum paratus, ac opto mori.

Spero, Domine, etiamsi vilis, indignus, & abjectus homuncio, in abysso misericordiarum tuarum, & in sanguine tuo cum tanta charitate pro me effuso, quia me salvum facies, & in carne mea videbo te Deum Salvatorem meum.

Gratias tibi, Domine, pro beneficiis propriis, pro beneficiis communibus: gratias tibi pro beneficiis cuicumque creaturæ hodie concessis.

Doleo, mi Jesu, quòd te summum bonum, bonum infinitum, bonum



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

num amabiliſſimum toties hodie, & tam graviter offenderim: & doleo ex corde, non propter amiſſionem cœli, aut metum inferni, sed ob amorem tui solius.

Deteſtor simul, & abominor peccata totius mundi hodie præcipuè commiſſa. Opto ex animo, ut compenſari aliquatenus meo sanguine poſſent.

Proteſtor coram te, Domine, quòd millies potiùs impendere eligam vitam, quàm poſt hac ulli peccato etiam veniali deliberato conſentiam. Hucusque sit terminus delictorum meorum, & non ultra in æternum.

Parco Domine omnibus, qui me aliqua moleſtii in vita affecerunt, & eos propter te sincerè amo.

Offero me ad omnem nutum divinæ voluntatis tuæ. Visnè bone Jesu, ut hac nocte moriar? lubens moriar. Offero me, & ad omnia mala pœnæ toleranda, renuncians judicio, voluntati, amori meo proprio.





Et quia vitæ & salutis incertus, velut sepulchrum ingredior somnum capturus, voveo (si eſt Religioſus) coram tota curia cœleſti, Paupertatem, Caſtitatem, & Obedientiam.

Omnia quæ feci, aut facere debui, subſterno pedibus Jesu. Et quia non implevi menſuram meritorum meorum, quam hodie implere debui, inveſtio me superexceſſivo sanguine Domini Jesu, quia quod potuit sanguinis gutta, redemit unda.

*Sacratiſſima Jesu & Mariæ nomina vesperi ante somnum digito in fronte efformare contra mortem repentinam, docuit ipſe Chriſtus Dominus S. Edmundum Cantuar. Archiep. Tu similiter fac.*

PEr signum sanctæ Crucis de inimicis noſtris libera nos Deus noſter. (hoc ter dicat) Procul recedant somnia, & noctium phantaſmata: hoſtemque noſtrum comprime, ne polluantur corpora.

Dignare Domine nocte iſta sine



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

peccato nos custodire. Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam.

Pax Domini nostri Jesu Christi, & virtus sacratissimæ Passionis ejus, signum S. Crucis, & titulus triumphalis *Jesus Nazarenus Rex Judæorum*, integritas quoque B. M. V. custodia SS. Angelorum, & suffragia omnium Electorum sint inter me, & omnes inimicos meos.

O Cor Jesu dulcissimum, tibi commendo hac nocte cor & corpus meum, ut in te dulciter requiescat. Et quoniam ego obdormiturus Deum laudare nequeo, hoc tuum, mi Jesu, suavissimum Cor pro me supplere dignetur.

Jesus Nazarenus Rex Judæorum præservet me à subitanea morte. Jesu sis mihi Jesus. Virgo Maria sis mecum in via. Omnes Sancti, & Sanctæ Dei intercedite pro me. Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria.

Jesu, Maria, Joseph, dono vobis cor, & animam meam.

*Cum*



## *Cum jam decumbis.*

*ANtequam obdormiscas breviter tecum revolvere poteris, quibus illi, qui infernalem regionem incolunt, lectis utantur: quàm etiam mollibus lectis ii, qui amœna cœlestis paradisi loca inhabitant, accubent. Postea imaginare te somnum capturum, esse circumdatum ab Angelis, qui custodiæ tuæ invigilent, vel mente concipe te aliquando cum Christo dormire in stabulo, vel in deserto, aut in carcere Caiphæ, aut sub Cruce. Sic tibi nox sicut dies illuminabitur, & nox illuminatio tua erit in deliciis tuis.*

## *Quando non potes capere somnum, dic saltem corde.*

O Crux! ò Corona spinea! quàm durum lectulum præbuistis Jesu Salvatori meo! In hoc lectulo dormiam, & requiescam in cogitatione animæ meæ.

 O

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

O Jesu! quid erit de me, quando oportebit sternere in tenebris lectulum meum? quando sternetur subter me tinea, & operimentum meum erunt vermes?

O Domine Jesu! utinam feliciter obdormiam in sinu amoris tui, & lux perpetua luceat mihi in lumine viventium, videntium, & amantium te!

O si animus ad amoris lucernam vigil hæreret, dum somnum corpus capit! ita ut dicere possem cum sponsa: Ego dormio & cor meum vigilat.

*S. Gertrudis, cum quodam tempore dormire non posset, hanc Orationem à Christo didicit lib. 3. cap. 25.*

PEr tranquillissimam suavitatem, qua ab æterno in sinu Dei Patris accubuisti: & per amœnissimam pausationem in utero virginali, qua novem mensibus quievisti: & per jucundissimam delectationem,

qua



qua unquam in amante aliqua anima dignatus es deliciari: rogo te, misericordissime Deus, ut non ad meum commodum, sed ad æternam laudem tuam mihi concedere digneris aliquantam requiem, qua lassata membra corporis usui exercitationis restituantur.

*Actus brevis pro defunctis.*

MIserere piissime Jesu, miserere & respice de sede magnitudinis tuæ, ad miseras animas in Purgatorio detentas, quia tibi proprium est misereri semper, & parcere. Miserere gemituum, miserere lacrymarum, quas ad te fundunt, & condona eis pœnas peccatis ipsarum debitas.

Præcipuè verò animabus fratrum, amicorum, & benefactorum meorum: animabus bellis, peste, fame sublatorum: item pauperum, egenorum, & quorum nulla extat memoria: ac demum istorum quos à me juvari vis: per Sanguinem totius

tius

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tius corporis tui, per crucem & mortem tuam: per merita omnium Electorum tuorum, per SS. Missæ Sacrificia, & omnia bona opera ad gloriam tuam in toto mundo facta. Requiem æternam dona eis, misericordissime Domine, & lux perpetua luceat eis. Requiescant in lumine viventium, videntium, & amantium te in æternum. Amen.

# CAPUT IV.

## SOLITUDO,

## Seu quotidiana familiaris cum Deo Viatoris conversatio.

*O Anima sancta, sola esto, ut soli omnium serves te ipsam.* S. Bern.

HAnc brevem solitudinem, & secessum suadent tibi Viator, non tantùm mundi hujus miseriæ, sed ipsius solitudinis deliciæ. Quid enim

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



enim potest deesse deliciarum homini, cum illic adest, cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum? Quod per Isaiam Dominus promisit dicens: *Ponet desertum ejus quasi delicias, & solitudinem quasi hortum Domini: gaudium & lætitia invenientur in ea.* Unde in hac solitudine de perenni divinitatis fonte limpidissimis consolationibus affluens S. Benedictus, non semel *in uno Solis radio totum mundum collectum conspexit.* Et S. Ignatius in eadem solitudine interna suavissima cœli gaudia libans, erumpebat in hæc verba: *Quam sordet mihi terra, dum cœlum conspicio!* Ideo Hieronymus sæpius de suo deserto: *Mihi cætera carcer, & solitudo Paradisus.* Ut ergo anima his possit vacare deliciis, fugiendo hominum contubernium, & cum solo Deo habens commercium, scire refert ad quem se locum conferat. Gemina est solitudo, altera exterior corporis, altera interior animi. Prima, secundùm Ascetas, est locus remotus in abdito recessu, vel extra urbem, à fa-

tius corporis tui, per crucem & mortem tuam: per merita omnium Electorum tuorum, per SS. Missæ Sacrificia, & omnia bona opera ad gloriam tuam in toto mundo facta. Requiem æternam dona eis, misericordissime Domine, & lux perpetua luceat eis. Requiescant in lumine viventium, videntium, & amantium te in æternum. Amen.

## CAPUT IV.

### SOLITUDO,

### Seu quotidiana familiaris cum Deo Viatoris conversatio.

*O Anima sancta, sola esto, ut soli omnium serves te ipsam.* S. Bern.

HAnc brevem solitudinem, & secessum suadent tibi Viator, non tantùm mundi hujus miseriæ, sed ipsius solitudinis deliciæ. Quid enim

enim



enim potest deesse deliciarum homini, cum illic adest, cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum? Quod per Isaiam Dominus promisit dicens: *Ponet desertum ejus quasi delicias, & solitudinem quasi hortum Domini: gaudium & lætitia invenientur in ea.* Unde in hac solitudine de perenni divinitatis fonte limpidissimis consolationibus affluens S. Benedictus, non semel *in uno Solis radio totum mundum collectum conspexit.* Et S. Ignatius in eadem solitudine interna suavissima cœli gaudia libans, erumpebat in hæc verba: *Quam sordet mihi terra, dum cœlum conspicio!* Ideo Hieronymus sæpius de suo deserto: *Mihi cætera carcer, & solitudo Paradisus.* Ut ergo anima his possit vacare deliciis, fugiendo hominum contubernium, & cum solo Deo habens commercium, scire refert ad quem se locum conferat. Gemina est solitudo, altera exterior corporis, altera interior animi. Prima, secundùm Ascetas, est locus remotus in abdito recessu, vel extra urbem, à fa-

fa-

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

familiæ strepitu, & inanium rerum agitatione: unde ille præcursor Domini S. Joannes Baptista, inter natos mulierum maximus, ab incunabulis solitudinem adivit, pluribusque annis coluit. S. Magdalena licet singulari gratia Dei prædita fuerit, tamen totum vitæ suæ tempus post passionem Christi, videlicet triginta annos, in spelunca quadam transigere voluit.

Carolus Imperator, ut solitudine liberiùs frueretur, Regnum suum in Philippum filium derivavit, de quo sic testantur Annales: Carolum majorem fuisse in sua Eremo, quàm in Imperio. Ejus filius Philippus morti vicinus in hæc verba prorupisse dicitur: *Utinam corona caput non cinxisset! pœnitet fuisse Regem: melius in aliquo deserti angulo, extra mundanorum negotiorum tumultum vixissem.*

Potes tali frui solitudine etiam in populosa civitate, qualem sibi fabricata est Judith, de qua ita sacri Annales: *In superioribus domus suæ*

*fe-*



*fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur.* Non est igitur, ut sis solus, excusationi locus, quia ubique est solitudini locus.

Altera est solitudo non loci, sed animi; non montium, sed mentium; non eremi, sed cordis. Non te ab hominibus sejungas, sed cum Deo conjungas: non recessus ab urbibus, sed accessus ad cœlum, attenta meditatione faciet te solitarium. *In populosa urbe*, inquit Petrus Damiani, *amor artifex solitudinem reperit.* Ideo nullum vitæ genus est adeò negotiis addictum, adeò curis implicitum, in quo solitudo animi, mentisque secessus nequeat reperiri. Quare in turba, itinere, conviviis etiam, faciat tibi cogitatio secretum, faciat solitudinem, & familiarem cum Deo conversationem.

Si ergo secedere non potes ad hebdomadas aliquot, si non potes ad aliquot dies, animum colligendi gratia; saltem horam unam, aut

al-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

alteram concede Deo loquenti in solitudine ad cor. Benè suasit cuidam Hieronymus: *Adhibe tibi in urbe solitudinem, & remotus ab hominibus junge te Deo.* Nam talis solitudo est quidam paradisus cœlestis voluptatis, est via recta ad cœlum, conscientiæ cathedra, magistra silentii, est nuptialis thalamus, in quo sancti Spiritus annulus tribuitur, & cœlesti Sponso felix anima fœderatur.

## DIE DOMINICO.

Meditatio.

*De Beneficio Prædestinationis.*

*Prælud.* 1. Statue te coram Deo, in quantum Prædestinator est, cui soli cognitus est numerus prædestinatorum, & præscitorum.

*Prælud.* 2. Pete, ut possis cognoscere media ad finem prædestinationis consequendum.

*Punctum* 1. Considera hoc beneficium non esse commune, sed peculiare, eorum duntaxat, qui ab æterno electi sunt à Deo ad vitam æternam, quod est omnium beneficiorum maximum, non solum quia datur ante omne meritum, sed quia cæterorum est fundamentum.

2 Cogita tecum: Quis scit, an nomen meum scriptum est in libro vitæ? vasnè sum in honorem, an in contumeliam? hædusnè, an agnus? Ingessit olim hanc cogitationem S. Bernardus Fratribus suis dicens; *Quis scit an omnium vestrum, quos hic video, nomina scripta sint in libro vitæ? Multi enim vocati, pauci electi.*

3 Admirare tam sublimen finem creationis tuæ, ut in æternum fruaris Deo, vivas cum Deo.

4 Rumina, & expende tam magnam Dei propter te resolutionem, at impensam sanè sumptuosissimam: quam, ut scopum æternæ prædestinationis assequereris, in vita sua contemptissima, & morte probrosissima ostendit.

5 Colloquere cum Domino Deo: Ho-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Homo vanitati similis factus est: & quomodo, mi Domine, reputas eum, & apponis erga eum cor tuum, ut inhabitet in domo tua omnibus diebus vitæ suæ, qui es te ipso beatissimus ac felicisimus?

6 Interroga divinam Clementiam: Quis effecit, quia homo gratus factus est in oculis Dei, qui dignus erat æterno odio iræ Dei? unde illi, quia è massa æternæ perditionis ac reprobationis eum Divina bonitas secrevit, qui merito suo eidem cum reliquis præscitis involvendus erat?

7 Testare cœlum & terram, quòd majori cum homine Dominus misericordia usus sit, quàm cum omnibus Angelis apostatis.

8 Alloquere iterum Dominum Jesum, & dic: Quæ tua, mi Domine, liberalitas & humanitas? potuisti hominem cum reprobis Angelis supplicio damnare perpetuo; & ecce non tantùm pepercisti illi, verùm etiam decrevisti pro illo homo fieri, & cum omni opprobrio mori.

In-



9 Interroga te ipsum: Quid pro his omnibus Domino Deo retribuisti? Eheu! reddidisti mala pro bonis, quia toties tam graviter, tam imprudenter Dominum tuum offendisti.

10 Defle igitur cum gemitu cordis tui, quia divinæ vocationi, & ordinationi restitisti, & auxilia contempsisti. Sanctorum & Angelorum societate te indignum fecisti. Odium & indignationem SS. Trinitatis incurristi. Fructu vitæ & passionis Domini te privasti.

## Pro Colloquio.

### *Actus Contritionis.*

HEu me miserum! quid cogitavi, quid dixi, quid unquam feci demens! Peccavi contra rationem, contra conscientiam: & in quem? & quis?

Egone vile, & projectum cadaver ausus sum, & qua fronte impudens in ipsius Numinis, & Angelicarum mentium conspectu, scele-

re

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

re meo impetere Creatorem meum, qui me ex nihilo fecit, Redemptorem, qui me sanguine redemit, Prædestinatorem, qui priusquam me formasset in utero, novit me, & antequam ex illo progrederer recordatus est in sua æternitate nominis mei, quasi guttullæ in vasto mari, & arenulæ in universo hoc!

O me infelicem! ergonè pro momentanea voluptate infamis mercator, Deo contempto, æternos mihi ignium inferorum cruciatus comparârim! Ah! pudet me mei, etsi nemo alius conscius foret: quid verò erit, cum toti mundo revelabuntur fœditates ac turpitudines meæ?

Sed quàm immani ingratitudinis vitio scelus est à me perpetratum in eum, qui me tot beneficiis prævenit ac prosecutus est! Quid tot beneficia contempsisse me amaro recordor animo? ò me ingratissimum!

O Deus meus! peccavi: jam non sum dignus intueri altitudinem cœli; non sum dignus vocari creatura tua. Quid tamen faciam miser? quò



quò fugiam à facie iræ tuæ? cui conquerar, ò Domine, omnia mala adversum me, nisi tibi Salvatori & Redemptori meo.

O bone Jesu, ne permittas me damnari, quem pretioso sanguine redemisti. Manus tuæ, Domine Jesu, fecerunt me; manus, inquam, illæ, quas cruci affixas tenes pro me: ergo opera manuum tuarum ne despicias, vulnera manuum tuarum precor ut aspicias: ecce in manibus tuis descripsisti me: fac ut nomen meum beatæ prædestinationis liber per totam æternitatem adscriptum retineat.

Spero tamen, mi Domine, in bonitate & misericordia tua: quid spero? Te ipsum. Animant me omnes miserationes tuæ, quas mecum ab infantia exercuisti, ut non cessem sperare in te. Appello viscera tua paterna, appello misericordiam tuam, appello illum actum, quo crucifixum pro peccatoribus orabas, quo peccatores ex visceribus divinæ tuæ misericordiæ salvare decernebas. Et

BIBLIOTECA PUBLICA

Et spero in misericordia illa, quod ego sim salvandus.

### *Actus Amoris Dei.*

O Bonitas infinita Deus meus! ecquid est homo putredo & cinis, ut tu ab æterno ad salutem, & beatitudinem æternam eligeres illum, ac prædestinares? Unde invenit hanc gratiam in oculis tuis, quòd ostendere volueris divitias misericordiæ tuæ in illo? Cur unum, mi Domine, vilem & inutilem homuncionem elegisti & assumpsisti, & innumeros Angelos, qui semel tantùm peccaverunt, reliquisti & projecisti?

Tune, mi Deus, super hujuscemodi peccatore dignum duxisti aperire oculos tuos? Tibinè, mi Salvator ab æterno nos lutea vasa cordi fuimus, ut non veniremus in oblivionem coram te? Tantinè nos æstimasti vilissima mancipia tua, rebelles tuos inimicos, immemor scelerum, ingratitudinum, ac vilitatum nostrarum? Quid aliud in nobis invenimus, nisi omnimoda impedimenta, & obstacula æternæ salvationis, tuæ fruitionis, tui suavissimi complexus?



Quomodo te non exaltabo Deum meum? quomodo non benedicet tibi anima mea? quomodo tota se non eviscerabit in dilectionem bonitatis, & charitatis tuæ? O bonitas! ò benignitas!

Utinam semper te dilexissem, superoptime Deus, ex quo sum homo, quia tu me dilexisti, ex quo es Deus! utinam te magis ac magis diligam, quia eripuisti animam meam de morte!

En ergo, Salvator piissime, minimus servorum tuorum in timore & tremore supplico tibi, ne me projicias à facie tua, nec à participatione sacratissimæ Passionis tuæ, sed justa magnam misericordiam tuam da mihi congrua salutis media, ut in æternum cum Electis tuis misericordias tuas concinam.

# FERIA SEGUNDA.

## Meditatio.

### *De Beneficio Creationis.*

***Prælud.*** 1. Constitue te coram Deo, & imaginare teipsum quasi vas quoddam recenter manibus Dei efformatum. Cogita tecum, quo fine.

***Prælud.*** 2. Pete, ut finem, ad quem creatus es, cognoscere possis, & ad illum pervenire.

***Punctum*** 1. CONsidera bonitatem Dei, quanta fecit animæ tuæ: novisti quòd ante annos paucos nihil fueris, & nullibi. Ecce elegit te Deus ex millibus, imo infinitis possibilibus, & condidit in hunc mundum, ut thesauris bonitatis suæ te ditaret in tempore & æternitate.

2 Ad imaginem & similitudinem suam fecit te, quem ante prævidit vilem & inutilem . indignum & ingratum, inimicum sibi, & exoxum.

Crea-



3 Creavit Deus animam tuam eo fine, ut cognoscas eum, illum ames, ei servias, & tandem salvus fias: finis sanctissimus, nobilissimus, celsissimus. Quid enim suavius, quàm amare amabilissimum, quid jucundius, quàm æternum cum Deo, & in Deo vivere?

4 Aperi oculos, & universum mundum uno quasi obtutu comprehende, in illo omnia tibi subjecta reperies. Tibi serviunt Angeli, tibi bruta vivunt, diffunditur aer, fluit aqua, &c. Vide homo, dicit totus mundus, quomodo amavit te, qui propter te fecit me. Servio tibi, quia factus sum propter te, ut servias illi, qui fecit me, & te: si acci?is benignitatem, redde humanitatem.

5 Lauda Dominum ob admirabilem potentiam ostensam in creatione: Quia nimirum ex nihilo propter te tam multa, tam varia, tam perfecta creavit.

6 Gratias agas pro beneficio existentiæ actualis, quam tibi Divina bonitas contulit. Item quòd habue-

G 2 ris

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ris Parentes Christianos, ex quibus natus es, non Judæus, non Paganus, non etiam Hæreticus, sed Christianus. Quòd natus sis cum membrorum integritate, complexionis bonitate, non cæcus, non claudus, non monstrum aliquod.

7 Humilia te ante Deum, & dic. O Domine! ego sum verum nihil ante te; & quid recordatus es mei, ut creares me, sciens me gravissimum fore peccatorem, & tuum ingratum inimicum?

8 Confunde te coram cœlo & terra, & erubesce, quia toties deturpasti imaginem Domini Dei tui: quia toties rebellis factus es Creatori tuo, ita ut justè possit de te tactus dolore intrinsecùs conqueri: Pœnitet me hunc hominem fecisse.

9 Miraberis, quòd creaturæ te hucusque sustinuerint, confiteberisque te dignum jam pridem fuisse, quem dehiscens terra subrueret, aqua demergeret, ignis consumeret. Resume postea fiduciam, accurre ad pedes Jesu, tene illos, nec dimittas, do-



donec misertus fuerit tui. Protestare in posterum de tua fidelitate & emendatione usque ad mortem.

### Pro Colloquio.

*Actus Contritionis.*

PAter, peccavi in cœlum, & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus, sed nec creatura tua. Me miserum! quid feci demens? ubi est præcellens illa imago, qua similitudinem Creatoris mei per omnia gerebam? ob gravissima facinora, & fœtores peccatorum meorum denigrata est super carbones facies ejus; non est agnita in plateis cœlorum, erepta est à consortio Angelorum, deputata est cum perditis inferorum.

Dicarnè, ò Domine, ampliùs creatura tua? non sum dignus creatura tua esse, etiam in quacumque pœna constitutus. Si enim ego solus dæmonum, & damnatorum pœnam sustinerem, non sufficienter secundùm peccata mea punirer.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Nemo tibi Domine tam ingratus extitit, ut ego. Latrones ipsi, & sacrilegi perfectiùs tibi famularentur, si eos tot, ut me, affecisses beneficiis. Animalia ipsa pro captu suo tibi appropinquant: solus ego infinita turpitudine vitæ meæ à te recedo.

Heu me miserum! quid dicam, ò Creator? Creatura tua sum, en perii: Creatura tua sum, jam morior. Dominus & Plasmator meus es tu, & nunquam vidi te: tu me fecisti & refecisti, & nondum novi, imò jam amisi te? Quid tamen miser faciam? recurram ad te, ò Jesu, fontem misericordiæ.

Expande, ò Domine, expande super hunc nequissimum servum pallium immensæ clementiæ tuæ, cui proprium est misereri semper & parcere. Non pereat in malitia sua, quod operata est bonitas tua. Quæ enim utilitas in creatione tua erit, si descendero in corruptionem, & damnationem æternam? Ipsa te vincat charitas ad salvandum me, quæ te vicit ad creandum me.





Fac iterum, Domine Jesu, lutum ex sputo, & lini oculos meos, ut qui cæcus sum, videre valeam deturpatam in me imaginem tuam. Iterum atque iterum aperire digneris latus tuum mihi nequissimo peccatori, ut oculi mei, qui deprædati sunt animam meam, in tuo latere inveniant prædam suam.

Reduc, Domine, oculos tuæ Majestatis super opus ineffabilis tuæ pietatis. Ego autem contra me ipsum armabor, & ero præ cæteris crudelior mihi Judex. Et quia non sufficio me detestari, contra me universum creaturarum cœtum congregabo, & à qualibet confundi, & puniri desiderabo, quia earum contempsi Creatorem.

### *Actus Amoris Dei.*

Siccine, ò Creator meus, ò bonitas infinita, ò Deus plusquam amabilis, in charitate perpetua dilexisti me, & ideo ad imaginem, & similitudinem tuam creasti me, miserans mei? quomodo ita amantem



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

me redamare potero? Qua in te animum meum, & ingenium nunc occupo, si non excogito mille modos, quibus testificer me diligere te?

Sed superabundo gaudio, Domine, & infinitas tibi gratias ago, quòd tu ipsemet meum & omnium creaturarum officium suppleas in amando te ipso. Summo etiam gaudio afficior, quòd quicquid creaturæ omnes præstare conantur tui amore, longe sit impar tuæ dignitati. Hunc ego ipsum amorem tui ipsius offero tibi in gratiarum actionem, pro omnibus thesauris beneficiorum in creaturas omnes effusis.

# FERIA TERTIA.

Meditatio.

## *De Peccatis.*

*Prælud.* 1. Statue te coram Deo veluti reum aliquem gravissimorum criminum, qui stet ante Judicem vinctus manibus, & pedibus arctissimè constrictus.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



*Prælud.* 2. Pete à Deo lumen, quo rectè malitiam peccati mortalis, & miseriam agnoscas, & ut illud tibi ignoscat, si fortassis eo animam tuam aliquando contaminaveris.

*Punctum* 1. Cogita, quid sit peccatum mortale. Est offensa, & contemptus Dei summi boni: imò voluntas perdendi Deum, si perdi posset, cumque perimendi quidam conatus, *quo* (ut ait S. Bern.) *homo peccando vult interimere aut sapientiam Dei, volendo ne suum peccatum videat; aut justitiam, volendo ne puniat: adeoque peccatum est quoddam in voto Deicidium.* Est demum sanguinis Christi conculcatio. Est rebellio creaturæ contra supremum Principem, & cum hoste ipsius diabolo conjuratio.

2. Quæ damna operatur in te peccatum. Primò peccatum te turpissimum facit, atque exosum omni creaturæ. Per peccatum mortale committis sacrilegium, quia violas templum Dei: apostasiam, qui à man-

datis Dei ad pedes diaboli transis, quia datam fidem in baptismo frangis. Per peccatum amittis gratiam universo orbe pretiosiorem. Per peccatum iteratò Christum crucifigis &c. Unde S. Thomæ Aquinati mirum etiam videbatur, posse hominem alicujus peccati mortalis conscium in eo damnationis æternæ periculo ridere unquam, & lætari. S. Ludovicus Rex Galliarum maluit vitâ exui, quàm fœdari peccato mortali. *Surius* 25. *Aug.*

3 Considera, quanta fuerit iniquitas, malitia, & audacia tua, qui summæ bonitatis & Majestatis Deum peccatis tuis aggredi ausus es, & eousque amaritudine complevisti ipsum incircumscriptæ bonitatis Oceanum, ut dolore cordis intrinsecus tangeretur, quòd te hominem creasset.

4 Interroga te ipsum: Quid tibi mali fecit Deus, quare illum toties tam graviter offendisti, & contristasti: quid tibi dedit dæmon, quia ad ejus pedes transisti.

5 Admirare non esse ultas ipsas crea-

crea-



creaturas, omniaque simul elementa contemptum & injuriam Creatoris sui, à te per omnia irrogatam.

6 Testare cœlum & terram, quòd peccaveris super numerum arenæ maris, quòd omnibus peccatoribus, & ipsis damnatis deterior sis.

7 Exclama cum filio prodigo: Pater peccavi in cœlum, & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus, sed nec creatura tua.

8 Opta tibi tot lacrymas, quot sunt guttæ in mari, aut guttæ sanguinis tui, quibus defleas miseram & miserabilem conscientiam, & vitam tuam.

9 Projicias te ad pedes Jesu, cum lacrymis postula veniam. Quid enim tibi superest misero, ne pereas miserè, quàm ut te conferas ad illum, cui proprium est misereri? Protestare, quòd abhinc eligas millies mori, quàm peccato fœdari.

Pro

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## Pro Colloquio.

### *Actus Contritionis.*

HEU me miserum! peccavi tibi ô bonitas, ô misericordia mea! peccavi, & super numerum arenæ maris multiplicatæ sunt iniquitates meæ! non est peccatum super peccatum meum: non est iniquitas super iniquitatem meam.

O si vastus in lacrymas vertatur Oceanus, & exundet ex oculis meis! quis mihi det, ut præ acerbo dolore omnes guttæ sanguinis mei mutentur in lacrymas, aut lacrymæ mutentur in sanguinem, nec unquam taceat pupilla oculi mei! Quis mihi det, ut sit magna velut mare contritio mea, ex quo semper lacrymarum flumina exeant, & in illud intrent, ut iterum perenniter fluant!

O Pater misericordiarum, esto placabilis super multitudinem malitiæ meæ, quia vox sanguinis fratris nostri Jesu Christi clamat ad te pro nobis de Cruce.

O



O Jesu, ô Maria, ambo offensi estis, sed ambo estis abyssus misericordiæ & dulcedinis: parce ergo misericordissime Jesu, parce servo Matris tuæ: misericordissima Mater Maria, parce mancipio Filii tui.

Displicent mihi, Domine, displicent singula peccata mea, quia ex se mala & perversa, quia supremæ tuæ Majestati, amabilissimæ bonitati ac voluntati injuriosa. Odio perfecto, quo tu Deus meus detestaris peccata mea, detestari velim & ego, odisseque volo in æternum. Horreo illa, & contremisco totus ad memoriam illorum.

O utinam numquam te, mi Deus, offendissem, non corde, non opere, non omissione, nec ulla prorsus ratione: utinam prius extinctus fuissem!

Spero tamen omnium ac singulorum peccatorum meorum plenam perfectamque à te misericordissimo Patre condonationem, propter bonitatem tuam, propter Jesu Christi amarissimam mortem, propter pre-

tio-

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tiosissimæ Filii tui Matris, omniumque Electorum tuorum intercessiones, & merita.

*Actus Amoris Dei.*

O Charitas, ò bonitas infinita, Deus meus! quàm triste, quàm durum mihi est, quòd unquam in te sic & sic peccaverim: cur ò Deus meus vel momento unico recessi à te? cur inebriavi te absynthio, qui mille benedictionibus dulcedinis prævenisti me?

O anima mea, dic mihi: quid tandem illa bonitas, illa misericordia fecit tibi, aut in quo unquam contristavit te, responde mihi? Eja disrumpere immani dolore vel nunc.

O mi Jesu, cur intermisi ullo tempore te versare in corde, te tota mente amplecti, & delectari in dulcedine tua? Ad te nunc, ò Amor, suspiro, clamo, anhelo. Te stringo intimis cordis mei affectibus. O si semper te solum cogitassem, te dilexissem dignissimè perpetuo amore Deus!



Deus! O si omnia desideria cordis tui adamussim explevissem! confidentiùs nunc irem in tuos amplexus, sanctissime amor: nunc autem conscius pudor infamem animam confundit, rejicitque ad oscula pedum tuorum nitentem.

Te solùm, mi Jesu, ex hoc momento quærere, te solum ex toto corde diligere constituo.

## FERIA QUARTA.

### Meditatio.

### *De Morte, & circunstantiis ejus.*

*Prælud.* 1. Imaginare te in extremis constitutum. Efferri Christi cruci affixi imaginem, accendi cereum, atque intonari tibi à Sacerdote: Proficiscere anima Christiana; plurimis interim circumorantibus, & animæ excessum præstolantibus.

*Præ-*

*Prælud.* 2. Pete, ut ante mortem diligentem rationem temporis & occasionis, quæ modo offeruntur, habere possis.

*Punctum* 1. Considera, quia in separatione animæ & corporis, anima cujusque suam ingreditur viam. Ah quam viam tua ingredietur? si nunc à corpore separata foret, quid cum illa fieret? dignane esset, ut ab Angelo deduceretur? dignane esset, cui Mater Virgo obviaret?

2 Revoca tibi in memoriam, quæ tibi in morte erunt gravia. Erit grave, quando ponetur ante oculos tuos imago Crucifixi; & quomodo in eum quem pupugisti, cujus sanguinem peccatis tuis conculcasti, oculos defiges? Erit grave, quando dabitur lucerna in manu index bonorum operum, quæ non thesaurizasti.

3 Considera extremum cum vita agonem mortis, quando inclamabitur auribus, ut corde saltem, si non ore, te Deo commendes. Quo





pacto etiam sanctissimi viri magno metu tunc concuti solent, ut S. Hilarion etiam clamasse dicitur: *Egredere anima mea, septuaginta annis servisti Deo, quid times?*

4 Cogita, quomodo tunc totus pallesces, oculi concident & evertentur, pectus palpitabit, cor supra modum saliet; interiùs verò cum maligno spiritu bellum geretur.

5 Concipe insuper affectum majoris timoris, quia in illo judicio particulari vides Judicem iratum, qui te conturbato vultu respiciens, ad tuam confusionem aperit cicatrices, & cruenta vulnera, tibique tuam ingratitudinem, malitiam & impietatem exprobat.

6 Imaginare quòd audias Angelum tuum custodem contra te instigantem, omniaque occulta peccata tua coram Judice recensentem.

7 Puta te videre à sinistris diabolos terribiles, ut catulos leonum rugientes, & præparatos ad escam, tibique inclamantes: *Euge, euge devorabimus eum.* Qui etiam motus despe-

perationis excitare solent, & dicere: *Si justus vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt?* Et: *Qualis vita, finis ita.*

8 Interroga te ipsum, quid tunc miser facies, quando infra te os inferni apertum aspicies: intra vermem conscientiæ senties: sursum cœlum occlusum, & Deum iratum conspicies: ad tanta quomodo non deficies?

9 Gratias age divinæ bonitati, quia tam diu te sustinuit, & concessit tibi spatium pœnitentiæ, ut pretiosam in conspectu ejus mortem promereri, & à morte peccatorum pessima liberari possis.

10 Detestare peccata tua, quæ te sola perdere possunt, & mortem æternam adferre, & statue firmissimè nunquam deliberatè peccare.

Pro



Pro Colloquio.

*Actus Contritionis.*]

O Inscrutabilis abyssus pietatis, Domine Deus meus! quomodo apparebo ante faciem tuam in illa terribili hora exitûs animæ meæ de corpore, portans iniquitatem meam, reatum deperditionis vitæ meæ, & pondus negligentiæ meæ? Talentum temporis mihi creditum non solùm expendi in vanum, sed perdidi totum. Quo ibo, quo me vertam, & quo à facie tua fugiam?

Væ ingratitudini, impietati, & cæcitati meæ, quia peccavi Domino, quia te Deum meum offendi, qui ut me exaltares, humiliasti te usque ad mortem, mortem autem crucis: O lacrymæ! ubi vos subtraxistis, ubi estis fontes lacrymarum?

O æquissima Dei mei Justitia, quæ nullum peccatum impunitum relinquis! cum omni humilitate accepto sententiam mortis meæ egredientem

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tem ab ore tuo, tanquam dignum supplicium, quod millies & millies promerui malo usu vitæ meæ.

Accepto separationem corporis & animæ meæ, fateorque has geminas partes essentiæ meæ esse hac pœna dignissimas, quod toties unà conspiraverint in transgressionem mandatorum tuorum.

Accepto privationem usùs omnium sensuum meorum, quia januæ fuerunt, per quas peccatum intravit in animam meam. Accepto putrefactionem & corruptionem carnis meæ in pœnam illecebrarum, quas prætuli divino amori tuo, & consentio, ut sub terram abjiciatur, quia animam meam, ne se in cœlum attolleret, impedivit.

O mi Deus, accepto solitudinem sepulchri mei ad reparandam injuriam, quam irrogavi Majestati tuæ, amando & sectando societates, conversationes, & amicitias creaturarum, quæ me toties averterunt, & fortè etiam seperarunt à sancto amore tuo.

O



O divina justitia, quàm recta sunt judicia tua, ut per hæc ipsa nos punias, per quæ te offendimus! Puni ergo me Deus, puni superbiam, & vanitatem meam per humilitatem mortis meæ. Puni sensualitates meas per dolores, & acerbitates ægritudinis meæ. Ulciscere cupiditates insatiabilis avaritiæ meæ. Et confiteor humiliter, quod justè hæc patior, quia peccavi non tantùm in fratrem, sed in Deum meum.

### *Actus Amoris Dei.*

QUid possum, mi Deus, facere ad declarandum tibi ardorem amoris mei pro omnibus, quæ tu tribuisti mihi, nisi ut tibi offeram vitam meam?

Quòd pignus, amabilissimè Jesu, reddam tibi amoris mei, ut aliquantum accedat ad excessum illum incomprehensibilem amoris, quo tu acceptasti mortem crucis amore mei, qui non tantùm pati, sed & ignominiosè coegit te mori pro me in cru-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cruce inter duos latrones, tanquam caput omnium ſceleratorum ſceleſtiſſimum & infame.

O Jeſu amore mei crucifixe! ſiquidem non ſum dignus mori, & effundere ſanguinem meum amore tui intra manus carnificum, ſaltem volo totam vitam meam gloriæ & amori tuo dedicare. Utinam & ultimus halitus, quo animam afflabo, halitus amoris ſit! Moriar amore tuo Deus meus, & quia vitam ab amore non inchoavi, da mihi vitam amore finire: ultimus vitæ meæ actus ſit amare.

Hoc etiam inſuper de me certum tibi eſſe velim, ò dulcis amor Deus meus, ut cùm etiam virtus loquendi mortis hora defecerit, & te dulciſſimum meum Jeſum amplius proferre non valebo; ſupplex peto ut ſaltem nutus oculorum, vel extenſio digiti, vel palpitatio cordis, ſit innovatio, & confirmatio omnium deſiderabilium affectuum, verborum, atque operum præteritorum, ac futurorum, quæ uſque ad extremum judicii diem amore tui cum devoto famulatu offerre vellem, ſi tandiù vivere poſſem.



# FERIA QUINTA.

## Meditatio.

## *De Judicio Univerſali.*

*Prælud.* 1. Imaginare quòd videas, quomodo Angeli tubis aſſumptis, omnia horrendo ſonitu complent, mortuòſque è cineribus ad ſummum Judicii tribunal citantes intonant: Surgite mortui.

*Prælud.* 2. Pete gratiam, qua illuminatus prœcognoſcas, & animo præſentias horrorem judicii, & diſcrimina, quæ manent impios, præcipuè malos Chriſtianos in futuro Dei Judicio.

*Punctum* 1. MEnte concipe te videre innumeras hominum myriades à quatuor mundi partibus in vallem Joſaphat con-

congregari. Sed, ah quali differentia! Plurimi enim comparebunt in corporibus fœdis, deformibus, horridis: quid de tuo speras corpore? an gloriosa & coruscanti, an tetra & horribili apperibit forma?

2 Imaginare, quòd sub tuum conspectum ex infernali abysso, aliqui infelices rapientur damnati in squallidis corporibus, ardentibus onerati catenis, pallidi, vermibus scatentes, & velut quædam monstra horribilia.

3 Imaginare, quòd videas plurimas dæmonum catervas, quorum plurimi contra te fremunt & instigant: item quòd audias Angelos instinctus divinos, & omnia beneficia tibi recensentes, conscientiam propriam viscera tua corrodentem, & te incusantem.

4 Puta te videre iratum Judicem assurgere, eundem cruenta vulnera ostendere, quibus veluti tot linguis loquetur damnatis: Ecce hominem, quem crucifixistis: videte vulnera quæ inflixistis: agnoscite latus





tus quod pupugistis; quoniam per vos, & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis. Tunc demum indignabundo vultu dicet: Sanguis meus sit vobis in condemnationem. *Ite maledicti in ignem æternum.*

5 Contemplare dæmones reproborum carnifices, audita Judicis sententia, velocissimè ad prædam suam accurrere, vivos ignitis compedibus oneratos in stagnum sulphure, & flammis horrens cum summa rabie pertrahere.

6 Intuere apertam teterrimam abyssum infernalem, & in illa conspice omnia tormentorum genera, quibus cruciantur damnati

7 Imaginare, quòd post feralia Judicis verba, tanquam è flammeis nubibus excussa tonitrua audias stridorem dentium, maledictiones, execrationes, horribiles in Deum blasphemias damnatorum clamantium? Væ, væ nobis miseris, cur nati sumus: cur lucem vidimus? cur non felicitas bestiarum datur nobis?



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

8 Interroga te ipsum: potestnè fieri, ut tam horribilis sententia irati Judicis, ac æterna reproborum confusio, & perditio, medullas ossium tuorum non penetret?

9 Inquire ex anima tua: an non millies propter pessimam vitam, & malitiam suam audire meruit hanc terribilem sententiam ex ore justi Judicis. *I maledicta in ignem æternum.*

10 Ingemisce, quia Deum tuum incircumscriptæ bonitatis Oceanum eousque amaritudine toties complevisti, ut dolore cordis intrinsecus tactus, te opus manuum suarum maledicere, & execrari debeat.

Pro Colloquio.

*Actus Contritionis.*

O Anima mea miserabilis! & quid est, quòd innumeris coinquinata peccatis infelicissimum tuum statum non consideras? cur non paves Judicis vultum ipsis quoque tremendum Angelicis potestati-





bus? cur non contremiscis ab ira potentis, à facie furoris ejus, à fragore ruentis mundi, à conflagratione elementorum, à tempestate valida, à voce Archangeli, & à verbo aspero?

Cur non contremiscis anima mea, à dentibus bestiæ infernalis, à ventre inferi, à rugientibus præparatis ad escam? cur non horres vermem rodentem, & ignem torrentem, & spiritum procellarum?

Heu me miserum! quid dicam, vel quid faciam, cùm venerit tempus tremendi Judicii? quis eruet me de manu potenti, & brachio extento contra me? quis præservabit me à ventura ira, ab æterna morte, à laqueis infernalibus? quid faciam, cùm cœli revelabunt iniquitatem meam, & adversum me terra, & omnis creatura consurget?

Quid dicam infelix esca totius inferni? incidamnè in foveam quam feci? nunquid laqueo desperationis præcurrere contendam sententiam? quam merui, æternæ damnationis,



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

Absit: recurram ad pedes tuos, mi dulcis Jesu.

Recordare Jesu pie, quòd sum causa tuæ viæ, ne me perdas illa die. Die illa tremenda, quando cœli movendi sunt, & terra: quando veneris judicare, noli me condemnare. Quærens me sedisti lassus, redemisti crucem passus, tantus labor non sit cassus. Sedisti lassus ad fontem: sudasti lassus in horto: stetisti lassus ad columnam: ivisti lassus ad montem. Ah! tantus labor & dolor, sudor & cruor, tantus amor non sit casus.

Caro tua sumus, ò Judex vivorum & mortuorum. Sanguis tuus sumus, membra tua sumus, qualiacumque tandem. Carnem igitur tuam ne despexeris. Carnem tuam odio ne habueris. Carnem tuam ne condemnaveris.

Non gloriamur de nostris meritis, in hoc solùm gloriamur & confidimus, quòd membra simus illius corporis tui, quod pro nobis passum, crucifixum, mortuum, abun-





dè pro peccatis totius mundi satisfecit. Quamobrem si merita à nobis quæris, ecce tibi proferimus meritum carnis tuæ, meritum passionis tuæ, meritum mortis tuæ. His meritis freti coram tribunali tuo nos sistimus intrepidi. Nostra sunt, quia nostri sunt capitis, nostri sunt corporis, cui per lavacrum regenerationis in virtute sanguinis tui incorporati sumus.

Tua merita, mi Jesu, ponimus intra nos, & judicium tuum: aliter tecum in judicio contendere recusamus.

### *Actus Deprecationis.*

O Bone Jesu, plene misericordia, & pietate, ne me perdat iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua: recognosce, quod tuum est, & absterge quod alienum est. Miserere mei, benignissime Jesu, dum tempus est miserendi, ne damnes me in tempore judicandi. Quæ enim utilitas in san-



UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

guine meo, si descendero in æternam corruptionem, & damnationem?

Non patiaris, benignissime Deus, ut quem in filium adoptasti, tota æternitate habeas inimicum. Non patiaris, ut cui naturæ tuæ infudisti imaginem, ille tuorum hostium præda fœdissimè dilaceretur. Non patiaris, ut cui inter cœlites Spiritus lumen gloriæ præparasti, ille ad inferorum tenebras condemnetur. Non patiaris, ut quem cœli sedibus destinasti, ille damnatorum incendiis triste pabulum objiciatur.

Hoc tuæ bonitatis inclinatio, hoc naturæ tuæ benignitas suadet, hoc paterni affectus suavitas exigit, hoc viduatæ Angelorum sedes suspirant, hoc sanguis Filii tui postulat, qui clamore valido interpellat pro nobis, ut miserearis mei in tempore judicandi. Exhibe hoc mundo amænissimum spectaculum, ex quo discat nunquam apud te irritas esse pœnitentium preces: & quoties contrito corde timeris Judex, toties te Patris affectum exhibere.





# FERIA SEXTA.

## Meditatio.

## *De Æternitate.*

*Prælud.* 1. Statue te cum S. Davide cogitante dies antiquos, & annos æternos in mente habente, atque infige diligenter cordi tuo, quid sit Æternitas.

*Prælud.* 2. Pete humiliter, ut felicem & beatam æternitatem promereri possis.

*Punctum* 1. Considera, quid sit æternitas: Duratio nunquam fluens, semper præsens, perpetuum aliquid hodie: Rota, quæ perpetuò volvitur, & quiescit nunquam: Oceanus sine fundo, litore, termino, & fine.

2. Cogita, quid sit damnatorum æternitas: mors semper reviviscens, & vita semper moriens:



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ignis vivacissimæ flammæ nunquam extinguendæ : vorago profundissima aquarum semper ardentium : vermis continuò rodens , & nunquam moriens : draco ignitis visceribus semper nocens , & nunquam interimens.

3 Quære , quid æternitas utrorumque. O exoptata Beatorum æternitas! ò exoptata Cœlitum patria! ò detestandum exilium damnatorum!

4 Considera quamdiu hi , & illi? Semper , & numquam! numquam, & semper! Durabit ignis in stygio sepulchro semper , torquebit semper ; extinguetur nunquam. Illi dilatato corde lætabuntur in cubilibus suis semper. Hi præ angustia spiritus gementes, latrabunt in antris suis semper. Verbo : Tandiù durabit æternitas , quandiù Deus erit Deus.

5 Ingemisce & defle maledictam damnatorum æternitatem , quorum unica erit in tota æternitate occupatio sine fine, sine termino eju-





lare , rugire , flere , in igne torqueri, dentium stridore concuti præ desperatione finis malorum suorum , æternùm ardere.

6 Obi animo omnes miseras animas , & damnatos omnes , illosque alloquere : Quot sæcula vobis hic restant transigenda ? quamdiù erunt vestri cruciatus ? an non videbitis Dominum in æternum in terra viventium?

7 Interroga Dominum Jesum: An non sanguine suo has infernales flammas mitigabit ? an non divino suo cruore ardorem hunc sempiternum post myriades sæculorum extinguet ? nunquid in æternum projicit Deus? Respondebit tibi : In inferno nulla est redemptio. Damnatis jam non possunt prodesse vel integra lacrymarum effusa maria , nec sanguis Martyrum, & ipsius Christi , licèt infiniti valoris in cruce effusus.

8 Inquire ex anima tua : An non detestabitur vitam suam tam pessimè traductam ? an pro momen-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

taneo, quod delectat, eliget æternum quod cruciat? an pro unica gutta consolationis præeliget mare ærumnarum, & æternæ plorationis?

9 Computa vires tuas, an poteris habitare in æternum cum igne devorante, & ardoribus sempiternis? an poteris exul esse à Deo, æternùm execrari cum damnatis Deum, blasfemare Sanctos ejus?

10 Resolve te pro commissis peccatis tuis ad maximam pœnitentiam. Desidera, ut ex oculis tuis sanguineæ erumpant lacrymæ, ut cor tuum præ immani dolore scindatur, ita ut hic vultum amantissimi Patris toties offensi deprecari possis.

*Actus Contritionis.*

Justissime Deus, qui fieri potest, ut æternitatem mihi mineris pœnarum, neque tamen justitiæ tuæ metum extorqueas à durissimo corde meo? an nondum apprehendo, tametsi fornacem videam æternùm ar-



arsuram, quantus peccati sis hostis, & quàm enorme sit delictum, te offendere Dominum universorum?

Qui fieri potuit, ut vivere auderem vel momento duntaxat unico tibi inimicus? neque momento tantùm, sed & mensibus, & annis integris perstiti in hoc miserabili statu, nihil interea immemor veterum mearum deliciarum; & quamvis tot peccatorum gravatus pondere, somnum tamen capio quietissimum.

O insaniam omnium, quæ unquam occupavere hominis animum, insanissimam! merebar dudum plecti sententiâ, ad emendationem usque meam tandiu dilatâ: merebar equidem, fateor, sed tu clementissime Deus, bonitate tua malitiam meam superasti: age igitur, ne dedignare diutius etiam sufferre me. En vinctum me, & captivum divinæ misericordiæ tuæ; qui me fugitivum tanto labore quæsivisti, ne repellas supplicem à pedibus tuis: ah! ne rejicias animam tam caro tibi emptam.

Lar-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Largire fortitudinem, ut fugiam peccatum, quod ducit ad damnationem, da gratiam, ut timeam infernum, qui separat à te: timeam æternos cruciatus: dele sanguine tuo sententiam, quatoties damnari debui ad infernum. Sic ergo his omnibus liber, velut vivum Bonitatis tuæ trophæum, misericordias tuas in æternum cantabo.

### *Actus Deprecationis.*

O Infinitè misericors Deus! si tu me ejicis, quis me recipiet? si tu me despicis, quis me aspiciet? Et quid proderit, mi dulcis Jesu, majestati tuæ pro me tam humiliter exinanitæ, si me in æternum à facie tua projectum & exclusum, in abyssum inferni æternis trades cruciandum tortoribus?

Cujus utilitatis erit ineffabile pretium tui sanguinis adeò pro me abundè effusi? & quomodo mors tuâ morte mortua erit, cum tartarus deglutiens imaginem tuam, simul in oblivionem absorbeat infinita meri-

ri-



rita tuæ durissimæ passionis, & animam igni inextinguibili destinatam à tua beatissima præsentia perpetuò separet.

Quomodo relinques, ò Pastor bone, oviculam tuam solam in terra horroris, & vastæ solitudinis, inter leones infernales? poterisnè vocem spernere balantis hujus miseræ oviculæ, & fugientis ad te?

Nunquid, mi Jesu, cognoscentur in tenebris mirabilia tua, & justitia tua in terra oblivionis? Nunquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam? nunquid cum iratus fueris, misericordiæ nunquam recordaberis? nunquid hæreditatem tuam delebis, & claudes ora te canentium? nunquid facies hominem, quem creasti ad laudem tuam, gaudium sempiternum inimicis tuis?

Non avertas, bone Jesu, faciem tuam ab hac anima mortis æternæ affecta doloribus, quam non avertisti ab iis, qui eam sputis & colaphis malè tractarunt. Noli, benignissime Jesu, filii tui licèt prodigi

in

in æternum oblivisci, quia in manibus tuis descripsisti me. Noli in æternum à facie tua creaturam, & opus manuum tuarum repellere: utique Domine nihil horum odisti quæ fecisti. Hic potius ure hic castiga, ut in æternum parcas.

## SABBATO.

### *De pœnis Inferni.*

*Prælud.* 1. Interroga te ipsum: Quò discedis peccator, cogitationibus tuis? ut tuæ tam perversæ vitæ horrorem concipias, ad tenebrosam & horridam inferni cavernam te converte.

*Prælud.* 2. Humiliter supplica, ut igne divini amoris emolliatur, & liquefiat peccatis induratum cor tuum, ex quo uberrimæ lacrymæ fiant, ne in locum tormentorum descendas.

*Punctum* 1. STatue te in fundo inferni coram illis igneis, & fumosis cathedris damna-

to-



torum. Aspice in hac terribili fornace referta flammis inextinguibilis ignis, innumera damnatorum ejulantium & ululantium millia, & quomodo ex oculis, naribus, ore ardentes & sulphureas ignis flammas, quibus aduruntur, spirent.

2 Interroga te ipsum: potesnè tu his ardentibus prunis unicam tantùm manuum unius duntaxat horæ spatio immittere? quomodo in iisdem æternum cruciari sustinebis?

3 Converte te ad aliam partem, ad gelidissimum illud stagnum glaciei, cui damnatæ animæ ex ardentissimis ignibus immani cum furia immerguntur. O glacies! ò gelu horridum! Heu! quis frigididissimo hyemis tempore per brevem horam nudus immersus glaciei stare posset?

4 Insuper considera, quia continuò damnatorum aures puniuntur infelicissimis gemitibus, ululatibus, terribili rugitu. Ah! qualis hæc musica æternum non finienda.

5 Imaginare, quòd audias maledictiones damnatorum maledicentium

tium

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ALERE FLAMMAM VERITATIS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

tium diem, in qua nati sunt, parentes, complices scelerum. Item execrantium Christi incarnationem, passionem, mortem, gloriam, Christi Matrem, Sanctos omnes, peccata propria non ad pœnitentiam, sed ad rabiem.

6 Imaginare quòd sentias fœtorem ex combustis damnatorum cadaveribus: caro enim putrida prunis imposita quale thus redolebit?

7 Puta te videre damnatos arctè vinctos sicut canes fœtidos, sicut lateres ardentes in fornace, continuò conturbari, gemere, fremere propter dæmones insultantes, & vermem conscientiæ eorum viscera corrodentem, & illis continuò exprobrantem: En tanquam bestia, tanquam canis putridus à Deo in hanc cloacam projectus es! en frustra pro te Christus mortuus est.

8 Inquire nunc ex anima tua: An non millies jam pridem has flammas infernales, illa horrifica tormenta suis sceleribus debita promeruit? quis continuit ultrices Chris-



Christi manus, ne tua tam exosa puniret scelera? quis obstruxit os inferni apertum, ne excæcatus peccatis, eò præceps cum cæteris descenderes?

9 Elice actum agnitionis coram omnibus, te vivente, in infernum detrusis, quòd majori tecum misericordia Dominus usus sit, quàm cum illis omnibus, neque cum illis damnari permisit. Demum postula indulgentiam, & spatium pœnitentiæ.

### Pro Colloquio.

*Actus Contritionis.*

Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut præveniam fletibus fletum, & stridorem dentium, pedum dura vincula, & pondus catenarum prementium, stringentium, urentium, nec consumentium? Heu me, mater mea! ut quid me genuisti filium doloris, filium amaritudinis, & plorationis æternæ? cur ex-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

exceptus genibus, cur lactatus uberibus, natus in combustionem, & cibum ignis?

Heu me! Quis miserebitur cineri meo? O quam acerbus est fructus peccati, amarior felle, crudelior gladio!

Væ animæ meæ peccatrici! væ mihi! quia tibi Domine soli peccavi nimis in vita mea, & malum coram te feci, cui uni soli semper à me, & ab omnibus creaturis summa laus, honor, amor, & gloria debetur: omnibus autem creaturis à te tua benedictio, gratia, & miseratio: sed quia solus ego peccavi tibi, idcirco nulla mihi à te debetur venia, gratia, & miseratio, sed potius omnis tuus furor, ira, damnatio, & perditio. Idcirco infernus domus mea est, ego inferni incola & hæres sum.

At misericordissime Domine, quamvis ego infelix commisi multa nimis, unde me justissimè damnare, & abjicere in æternum debes; quia tamen tu misericordiarum Pater,





non amisisti, unde misericordissimè salvare potes, propterea ego de profundissima miseriarum mearum abysso clamo ad te: Tibi soli peccavi, & malum coram te feci, miserere mei: Istud in me, peccatisque meis displicet, quia tibi soli peccavi. Amare cordialissimè, & æstimare te solum super omnia debui, & tibi soli peccavi.

Non ergo, Domine, ardere metuo, sed peccasse doleo. Nec me contristat damnum meum; sed affligit injuria tua, & iniquitas mea.

### *Actus Amoris Dei.*

O Altitudo judiciorum, & magnitudo miserationum tuarum, Domine Deus! quot homines in medio peccatorum suorum cursu subita morte sunt abrepti, qui nunc miserè torquentur in inferno? quid factum fuisset de me, si me tunc ad strictum evocasses tribunal? quis, cùm ego dormiebam, pro me deprecatus est?



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

O Pater misericordiarum, ô Deus æternæ consolationis, qui non lætaris in perditione peccatorum, sed potiùs, vis, ut convertantur, & vivant; en habes ad thronum misericordiæ tuæ prostratum supplicem, cui unicum hoc pro totius vitæ gemitu relictum est, *Peccavi.* Tibi soli peccavi, ô Pater benignissime, mereor mille infernos. Non habeo unde solvam: mea satisfactio est tuus sanguis.

## DIE DOMINICO.

Meditatio.

### *De Gloria Cœlesti.*

*Pralud.* 1. Contemplare magnificentiam, altitudinem, & pulchritudinem illius civitatis supernæ, quæ margaritis & auro ornata constat, odores suavissimos spirat, radiisque splendidissimis undique illustratur.

*Pra-*



*Pralud.* 2. Roga, ut prægustastis interiori sensu istis Paradisi cœlestis deliciis, mundi hujus inanes sordes semper despuas.

*Punctum* 1. Finge animo te per civitatem cœlestem ambulare: O Patriam desiderabilem!

2 Erige postea oculos ad altissimum hujus cœlestis aulæ fastigium; ibique conspice SS. Trinitatem in coruscanti, & splendidissimo throno gloriæ suæ innumeris Angelorum millibus cincto residentem.

3 Intuere ibidem gloriosam Christi Humanitatem, ac cicatrices ejus mirificè resplendentes. Ad latus Filii inspice Reginam cœli stellis coronatam, ac omnes Beatorum cætus velut lucidissimos soles.

4 Expende tecum, quomodò felices illæ catervæ simul cum Angelis gaudeant, & vitam jucundissimam vivant. Quàm flagrantia lilia! quàm odoriferæ rosæ videntur esse singuli!

Co-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

5 Cogita quanta felicitate, deliciisque Beati in singulis sensibus corporis, & animæ potentiis perfruantur. O felicem æternitatem!

6 Gratulare Sanctis omnibus tantam gloriam & beatitudinem, tantam summi boni possessionem, & æternam fruitionem.

7 Accendere famelico desiderio adnumerandi, & adjungendi te Sanctis, cum illis Deum videndi, Deum possidendi, & cum SS. Angelis de illorum felicissima beatitudine participandi.

8 Confunde te coram cœlo & terra, quòd tantùm deviaveris à via gloriosæ Sanctorum habitationis, & æternæ Dei visionis, quòd pro voluptatibus tam sordidis deserueris æternas & infinitas cœli delicias.

9 Arguendo tuam stultitiam exclama: O magna domus Dei! ò patria desiderabilis, quàm vilis mihi fuisti, & quàm turpiter te pro nihilo toties contempsi!

Pro



## Pro Colloquio.

### *Actus Contritionis.*

OPeriat confusio faciem meam, Domine Deus meus, quia tam dissimilis factus sum fratribus meis, & filiis matris meæ Ecclesiæ. Heu! quomodo apparebo in conspectu tuo Domine, & in concilio justorum tanta charitate ardentium? Illi cum timore, & tremore operabantur salutem suam. Ego autem vilis, exosus, & ingratus peccator, non tantum crucem propriam tollere, & Sanctis tuis assimilari renuo, sed etiam, quod gravius est, te Deum meum centrum omnium bonorum, gravissimis peccatis offendere non desino.

Quomodo ergo tam exosus peccator dignus erit aliquando Deo, qui offendit, & contempsit Deum? quomodo possidebit Deum, qui eum abjecit? quomodo videbit intuitivè Deum, qui totum intellectum avertit

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

tit à Deo? qua fronte gratiam requiret, qui æterno odio eſt dignus? & cui pœna debetur, qua temeritate gloriam depoſcet?

O Deus cordis mei! non ultra mihi ſapiet mundus, aut bona illius, quando guſtavi & vidi, quam ſuavis ſis Domine! Imò etiam ignis, crux, beſtiæ, confractio oſſium, membrorum diviſio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantùm te Deo meo fruar.

*Aſpirationes ad cœleſtem Patriam.*

O Jeſu! ò Jeſu! quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiſcit & deficit anima mea in atria tua, ſitivit anima mea ad te Deum fontem vivum. O quando induces me in exceſſivum tui amorem? quando demittes me in abyſſum amoroſiſſimi cordis tui, ut omnium præter te ſolum oblitus, etiam me ipſum nunquam inveniam? quando in lumine tuo videbo lumen tuum!





O quando, ſuaviſſime mi Jeſu, licebit ſacros pedes tuos pro me perforatos oſculari, & lambere; os aperto lateri admovere, ad pedes tuos in æternum ſedere!

O ſi hoc gaudio, ò ſi te ſolo & unico poſt aliquot miſeros dies frui, & vocari poſſim ad cœnam Agni, & Dei mei! O Jeſum Deum meum! ò omne deſiderium meum! quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te, ò Jeſu. Quid enim mihi eſt in cœlo, & a te quid volui ſuper terram? defecit caro mea, & cor meum in ſalutare tuum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? cupio diſſolvi, & eſſe tecum, mi bone Jeſu! Creaſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. Nam ubi Pater meus eſt, ibi ſpes mea, & patria mea, portio mea in terra viventium.

Age, bone Jeſu, dulcis amor

cordis! Videant te oculi mei, dulcis Jesu, videant te, & hic moriar, ut te fruar! Ne patiaris me diutiùs præ tui amore, & desiderio languere, & diu interire.

### *Motiva ad maturam & seriam conversionem Viatoris ad Deum.*

#### *I. Seria cogitatio æternitatis.*

O Viator! continuò veloci cursu pergis ad æternitatem nullo termino concludendam & finiendam, & audes vel uno momento manere in statu peccati mortalis, in quo si moriaris, in puncto descensurus es in infernum? cur non recogitas, quia si in statu peccati decesseris, habitabis infelix in igne devorante, & ardoribus sempiternis? quia totus Deus vacabit ad pœnas tuas, & vacabit per omnem æternitatem suam, usque ad inferni novissima, usque dum compleat, inebrietque sagittas furoris sui justissimi in te. Computa vires tuas: num po-



poteris sustinere irruentes super te montes vindictæ Dei?

#### *II. Incertitudo Mortis.*

DEus pœnitentibus promisit veniam, sed peccantibus spatium pœnitendi non promisit. Transeunt quotidie præter oculos tuos elata cadavera, quæ mortalitatis oblitum respicere cogunt ad mortem: tu autem in media strage morientium nihil minus, quàm mortem cogitas; & cum nihil frequentiùs videas, nihil citiùs oblivisceris. Quot millia hominum delusit ista spes, aut potius stulta præsumptio? at nunc, in inferno positi sunt, mors depascit eos: præcisa enim est velut à texente vita eorum, dum adhuc ordiri viderentur. Omnem ergo diem crede tibi diluxisse supremum & ultimum, & cum mane fueris, puta te ad vesperum non perventurum.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ALERE FLAMMAM VERITATIS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

### *III. Passio Christi Domini.*

INspice vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis. Caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplectendum. Et his non moveris, ut peccata deseras? Moveat te amor boni Jesu, & ad eum revertere. Crudelis es, si fructu amoris sui Jesum tuum defraudes: frustra pro te mortuus est. Sanguinem suum seriò de manu tua requiret, & tota passio Christi stabit contra te ad majorem damnationem tuam.





## CAPUT V.

## Breves Meditationes de Passione Domini.

### Sive peregrinatio Viatoris cum Christo patiente.

*O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor similis sicut dolor meus.*

Thr. 1.

PErge Viator plorans, quò trahent funes, quò raptabunt catenæ, quò crudelis feritas incitabit. Perge quò rapit dolor & amor. Sequere Jesum, qui doloris passibus immensum nostrorum scelerum, & infinitæ suæ bonitatis campum dimetitur. Defluit ex vulneribus Christi sanguis pro te, ò Viator, sed non in te, nisi tu facias eum per gratitudinem recurrere ad principium suum.

Amor SS. Trinitatis totus con-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

### III. Paſſio Chriſti Domini.

INſpice vulnera pendentis, ſanguinem morientis, pretium redimentis. Caput habet inclinatum ad oſculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extenſa ad amplectendum. Et his non moveris, ut peccata deſeras? Moveat te amor boni Jesu, & ad eum revertere. Crudelis es, ſi fructu amoris ſui Jeſum tuum defraudes: fruſtra pro te mortuus eſt. Sanguinem ſuum seriò de manu tua requiret, & tota paſſio Chriſti ſtabit contra te ad majorem damnationem tuam.





# CAPUT V.

## Breves Meditationes de Paſſione Domini.

### Sive peregrinatio Viatoris cum Chriſto patiente.

*O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite, & videte, ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus.*
Thr. 1.

PErge Viator plorans, quò trahent funes, quò raptabunt catenæ, quò crudelis feritas incitabit. Perge quò rapit dolor & amor. Sequere Jeſum, qui doloris paſſibus immenſum noſtrorum ſcelerum, & infinitæ ſuæ bonitatis campum dimetitur. Defluit ex vulneribus Chriſti ſanguis pro te, ò Viator, ſed non in te, niſi tu facias eum per gratitudinem recurrere ad principium ſuum.

Amor SS. Trinitatis totus con-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sistit in Passione & vulneribus Christi: illa enim movent Deum ad fundenda liberaliter in nos beneficia, ut docent Doctores, qui ajunt, omnia dona gratiæ effectus esse & præmia meritorum, ac vulnerum Christi. Si cupis à Deo diligi, ama vulnera Christi, commorare in illis sacris cavernis. Tota tua occupatio sit in vulneribus Domini.

Unde exclamat S. Bonav. *O cæcitas filiorum Adæ, qui per hæc vulnera in Christum nesciunt intrare. Ecce apertus est thesaurus divinæ sapientiæ, & charitatis æternæ. Intra per vulnerum aperturam, & delicias obtinebis. Certa enim & secura expectatio promissæ beatitudinis* (inquit S. Leo) *ubi est participatio Dominicæ Passionis.*

Christus S. Gertrudi dixit: Filia, qui amanter Crucifixum in vita intuetur, eum amanter Crucifixus in hora mortis respicere dignabitur.

Virgo quædam Crucifixum fixè intuens, amore æstuans exclamabat: ò



ò Deus! ò amor! ò excessus amoris, da mihi tantam vocem, quæ audiatur ab Oriente ad Occidentem, à cœlo usque ad infernum, ut te Amorem meum omnibus inclamem, ut ab omnibus agnoscaris, & ameris.

S. Edmendus Episcop. Cant. dæmonem in virtute sanguinis Christi adegit ad significandum sibi, quo potissimùm modo superari potest. Adjuro te, inquit per aspersionem sanguinis Christi, in quo faciliùs te vincere possum? Respondit dæmon: Deo sic ordinante, in eo quod nominasti, illius sanguinis virtute facile vincor.

Simplex recordatio Passionis Christi (teste B. Alberto magno) multò plùs valet, quàm si quis integrum annum in pane & aqua jejunaret: vel si quotidie virgis & flagellis cederetur usque ad effusionem sanguinis; vel si quotidie legeret integrum Psalterium. Apud Discipul. *Ser.* 1, in die Parasceves.

Cuidam Viro eximiæ sanctitatis inter precandum, medium effica-

 cis-

cissimum pro excitando in se amore divino flagitanti, respondit Christus: Exerce te in humanitate mea passionata & vulnerata; nam in ea maximè lucet mea charitas, non aliter, quàm sol in suo splendore, rosa rutilans in suo odore, ignis vehemens in suo æstu & ardore.

*Christus in horto sudat.*

EGredere Viator, ac plorans comitare Jesum euntem in hortum Olivarum, vel potiùs in montem myrrhæ, & collem thuris. Primus viatori Deo ad hortum erit passus, ut lilium collocetur inter spinas acerbissimorum cruciatuum.

Cogita, dum jam egreditur Christus ad montem Olivarum, cum quanto dolore universa Matri suæ, quæ sibi in passione eventura erant prædicit; quia omnino oportet Filium hominis conspui, flagellari, crucifigi.

Vide quomodo mæsta Mater ad tantum nuntium exanimata in bra-





chia Filii sui procidit. O dolorem cruentum Matris!

Penetra hic viscera Filii & Matris, & quomodo uberrimæ ex oculis utriusque erumpunt lacrymæ.

Aspice, quàm triste spectaculum sit hoc Matrem Dei & Filium lacrymis diffluere. Eheu! quò vadit dilectus tuus, ò pulcherrima mulierum, quo vadit? ad hortum, ubi sudabit sanguinem; ad Annam, ubi alapis cruentabitur; ad Herodem, ubi illudetur ut demens; ad Prætorium, ubi cædetur ut reus; ad montem, ubi suspendetur ut latro.

Cum lacrymis inspice, quantis angustiis prematur bonus Jesus in hortum veniens. O triste spectaculum! En protinùs Dei Filius, Geniorum cœlestium voluptas expallescit, submittit genua: procumbit humi, divinum os solo adsternit, cum morte luctatur.

Imaginare, quòd videas per poros & venas, sanguineas erumpere guttas.

Interroga Dominum Jesum: cur



ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tam præmaturè ex illius corpore erumpit sanguis, stillant venæ, pluunt cuncta membra?

Cogita, si primo in passu, Viator, sanguinem sudat, quis sperandus est tam atrocis transitus, ac itineris progressus.

*Affectus.*

O Mi bone Jesu! quò tua demum in nos abibit liberalitas? paulò ante sub extremæ cœnæ finem, tuum nobis in calice sanguinem propinasti: jam illum iterum in tuo corpore, in horti pavimento propinas?

Cur ita, ò amor meus, ipse tormenta prævenis? nondum adsunt carnifices, nondum te flagella lacerant, nondum aculeatæ spinæ divinum caput perfodiunt, nondum clavi manus pedesque configunt, & tamen jam nunc tam uberes cruoris fontes fluunt? Quid cras tecum fiet, cum totum corpus unus erit livor, vulnus unum?





O nimium amorem istum, cui explendo mors una satis non fuit, sed ante mortem vitam hanc nostram mori coegit! ita ut nostri amantissimus Dominus membratim interire guttatim contabescere, & per lenta sanguinis stillicidia diversis viis animam abire voluerit.

O felicem terram, quæ Domini tui cruorem combibisti, nunquam tam pretioso rore irrigata! Quis mihi det, ut amplectar locum, quem Salvatoris mei presserunt vestigia, genua contigerunt?

Quid verò purpureum nunc, & tam copiosum sudorem è corpore Jesu elicuit? Eheu! peccata & scelera mea. Hoc prælum fuit, hoc torcular, quo fuit expressus: sub isto culparum mearum onere bonus Jesus ingemiscit, mæret, plorat: fatiscit, sudat.

Tantane res erat salus nostra, mi Domine, ut eam tanti æstimares, & tantis impendiis, resarcires? Tam pretiosæ in oculis tuis erant animæ nostræ, ut eis redimendis tantum,



ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

&c tam copiosum destinares pretium? Adeone diligens me tradidisti temetipsum pro me, ne perennibus traderer flammis? Ergo non diligam te, sed tradam me concupiscentiis meis, tradam me hostibus tuis?

Potiùs, Domine, trado me tibi vel nunc, ut disponas de me in tempore & æternitate, ut cantem miserationes tuas stupendas & magnas in æternum, & ultra.

*Christus in horto comprehenditur.*

Penetra cor Salvatoris: vide cum qua promptitudine & charitate morti sese offerat, cum qua alacritate obviam procedat proditori Judæ, & carnificibus.

Juda, quid agis? amoris signo vulnus infligis? charitatis officio sanguinem fundis? instrumento pacis mortem irrogis?

Vide, quomodo unico verbo omnes satellites straverit in terram, ne prosterneret in inferno.

Considera duritiam satellitum, qui nec



nec horrore mortis perterriti, nec blandimento charitatis commoti, quem noluerunt propitium habere Salvatorem, sibi elegerunt Judicem severissimum.

Obstupesce, quomodo viles & barbari milites in Agnum innocentem cum ingenti clamore irruunt: alii caput benedictum pugnis, alii fustibus cædunt; brachia cæteri funibus tam ſarctè stringunt, ut sanguis prosiliat è venis.

Comitare ulteriùs Christum, quem ad impiam pertrahunt civitatem. O quot anteriùs hastis & calcibus te propellunt, mi Jesu! quot à tergo te lapidibus impellunt!

Insuper comitare Christum raptatum ad tribunal Annæ, capite discooperto, facie livida, manibus post tergum vinctis, pedibus sanguinolentis.

O prodigium! en innocentissimus Sol justitiæ ad iniquitatis tribunalia consistit. Stat sine advocato Innocentia, sine patrono Veritas, sine voce Verbum. Quid enim lo-

que-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quereretur, cui jam nuper ferale Herodis imperium ad saltatriculæ votum vocem eripuerat?

Considera, quam torvis & ardentibus oculis ille aspiciat Salvatorem, quam superbè interroget, & sciscitetur ab eo de doctrina & discipulis.

Eheu! obstupesce, ut mox ad primam æternæ Sapientiæ vocem, à quopiam ministrorum armata manu tam crudelissima alapa ei infligitur, ut dentes excusserit, & ex labiis sanguinem elicuerit.

Exhorrescat cœlum ad tam inauditum facinus: contremiscat terra: alapâ Deus percuti potuit! ô Angeli, quomodo manus continere potestis? an attonitos vos tenet facti insolentia?

### *Affectus.*

QUid retribuam tibi, Domine Jesu, pro omnibus ludibriis, percussionibus, vilipendiis, derisionibus, & pro innumeris opprobriis, quibus pro me saturatus fuisti?



Eheu mæstissime, eheu dulcissime Jesu! Cur adeo ferreum ac lapideum cor habeo, quod compassione ac dolore non scinditur? cur præ dolore non tabescit anima mea, quandoquidem tam immanium dolorum & cruciatuum causa est pessima vita mea?

Potuitnè fieri, ut pro me vilissimo vermiculo talia Deus pateretur? Eheu patitur: quia pro me conculcatur, pro me Deus ligatur, & irridetur.

O amor infinite! quid retribuam tibi, qui pro me servo nequam tantum, & innocentissimus, & amabilissimus luis? Fundam sanguinem: sed nocentissimus est. Fundam lacrymas: sed peccatrices sunt, immundæ sunt.

O æterna Sapientia, dulcis Jesu, pro hisce contumeliis, injuriis, irrisionibus, insanisque clamoribus, te honorent, te glorificent, & extollant omnium Beatorum agmina: & in solo

UNIVERSIDAD AUTONOMA DE NUEVO LEON ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

lo tuo nomine, benedicte Jesu, omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.

## *Christus apud Caipham.*

COgita, qualiter Dominus noster, Rex Regum, & Dominus dominantium sub vilissima specie pessimi servi, ab Anna ductus fuit ad Caipham Pontificem illius anni.

Attende, quia ibi juramento Christus adstrictus apertè se dixit esse Filium Dei, Caiphas scidit vestimenta sua, dicens coram omnibus eum blasphemasse.

Insuper obstupesce. En expuunt in faciem Domini: ò novum & inauditum in terris spectaculum! ò faciem Domini alapis lividam! ò faciem fœdis sputis maculatam!

O Pater, respice in faciem Christi tui, & miserere nostri, pro quibus sic fœdatur. O si vel modo incipiant oculi mei ubertim flere, ut ita eluant faciem Salvatoris mei!

In-



Ingredere cum Domino tuo carcerem: quid ibi non teneat carnificum rabies? en tota nox in crudelissima Christi innocentiæ supplicia extenditur.

Considera anima mea celsitudinem Domini Dei tui adeo profundè exinanitam, ut verè nunc non homo, sed vermis & opprobrium hominum, ac abjectio plebis dici debeat.

## *Affectus.*

O Nox, quam meus Jesus habuit ultimam in carne mortali, quale tu spectaculum exhibuisti mundo, & Angelis, & hominibus! Ecce dum medium silentium tenent omnia, en Deus & homo, ab homine, & pro homine circumdatur doloribus: en lamentabiles Domini preces audiuntur à Patre!

O horror cœli! ò scelus mundi! ò dolor, & amor Dei mei! Quid tibi mi Jesu cum terra? quid tibi cum homine? ut redimeres servum,

te

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

te ipsum servo illudendum tradidisti.

O quàm magna miseratio, quàm gratuita & probata dilectio, quàm inopinata dignatio, quàm stupenda dulcedo! Regem gloriæ pro suis inimicis assumere formam servi, tot suscipere labores & dolores!

O Cor meum plusquam lapideum, cur non accenderis amore tui Jesu? lapis calore solutus in cinerem vertitur, & tu ad tantum calorem immutabilis perseveras? O utinam, mi dulcis Jesu, amem te, serviam tibi, laudibus prosequar te omnibus diebus ac noctibus vitæ meæ, ac deinde tota æternitate.

### *Christus apud Pilatum & Herodem.*

Vide quòd necdum dies illuxerit, & jam rumor captivitatis Dominicæ per totam civitatem increbuerat: itaque omnes certatim currunt ubi à Senioribus populus adversus Christum concitatur.

Observa quomodo Christum decer-



cernunt offerre Pilato præsidi morti condemnandum. O bone Deus, quantis cum ludibriis, improperiis per mediam civitatem rapitur!

Inspice Præsidem Pontium prodire ad solium plenum arrogantiâ; Christum verò plenum confusione, catenis ligatum coram eo consistere.

Audi, quomodo reprobi illi satellites adversus Dominum, tanquam canes latrant, falsò Jesum insimulantes, quòd se Deum faceret & Regem, & subverteret populum.

Considera, quòd cum in multis Jesus accusaretur, nec in eo Præses causam mortis inveniret, remisit Christum ad Herodem, sub cujus erat potestate.

Cogita, quòd cum videret eum Herodes, putans eum mente captum, spreverit cum exercitu suo, ac illudens remiserit iterum ad Pilatum.

Observa, quòd Pilatus volens illum liberare, dederit sortem ejus cum Barabba homicida scelestissimo, & concesserit populo, ut peteret ex his duobus quem vellet dimitti.

Obs-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Obstupesce incredibilem Christi patientiam, qui cum esset Deus verus de Deo vero, passus est, non modo se cum Barabba comparari, sed etiam quod indignissimum est, illi postponi.

### *Affectus.*

O Admiranda, mi dulcis Jesu, tuæ circa nos pietatis dilectio! Quomodo tu qui tribus digitis appendis terræ molem, qui sedes super Cherubim, & intueris abyssos, tàm crudeliter, tàm immaniter torqueri à reprobis permisisti?

Quid commisisti Domine, ut sic judicareris? quod scelus tuum? quæ noxa tua?

O mirabilis mysterii dispositio! peccat iniquus, & punitur justus, offendit impius, & damnatur pius, quod perpetrat servus exsolvit Dominus, quod commisit homo, sustinet Deus.

Quid ad hæc ò anima mea? utinam nunc saltem amem te, mi Deus, sed amem ex toto corde, amem ex



ex tota anima, amem ex omnibus viribus meis.

Utinam obverseris semper menti meæ, ò vita mea, ò amor meus! utinam ad te semper suspirem ò desiderium, ad te semper confugiam, ò asylum meum; semper advolvar pedibus tuis, ò mi Domine, semper sim inter amplexus tuos, ò mi Sponse!

### *Christus flagellatur.*

Vide, ut agnum mansuetum impius Præses ad sedandum populi furorem, Christum tradit flagellandum.

Inspice cum qua ferocitate Christus alligatur columnæ, aliis manus vincientibus, aliis brachia contorquentibus. Et ita Dominum stringunt, ut carnes disrumpi, & foras sanguinem prosilire compulerint.

Admirare nunc cum lacrymis, Jesum feriri crudelissimè, cutem dilaniari, viscera denudari: vide sanguinem defluentem in terram instar rivulorum.

Res-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Respice humeros, brachia, pectus, & totum corpus tui Salvatoris dilaniatum, totum corpus discerptum.

O quantum prodigium! amor cruciat: fundit sanguinem, dilacerat, & nisi ipse sibi obstitisset, intermisset.

Meditare hic, quomodo lictores percutiendo lassi sunt, & Christus necdum fatigatus est pro te flagellari. Quare cùm ampliùs non possent crudelitatem suam in ipsum exercere, illum à columna solvunt.

Inspice, quòd doloribus plenus, totus dilaceratus præ frigore tremat, nudus, & sanguine madidus, ubicunque figit pedes, vestigia sanguinis relinquat.

*Affectus.*

Obstupescite cœli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer. Jesus Dei Filius in flagella nudatus est. Jesus meus Dominus in flagella paratus est. Nudatus, qui etiam omnia lilia agri sic vestit. Nudatus



datus est, qui sub umbra alarum suarum nos protegit. Vides hoc Sol, nec obscuraris?

Si hoc corpus templum Domini est, ubi nebula? si Sanctum Sanctorum, ubi velum? si tuus est Filius, Virgo Mater, ubi tunica inconsutilis? si hic Filius tuus dilectus: Pater æterne, ubi nubes lucida est?

O mæstissima Virgo, quos fontes lacrymarum dicam erupisse de castissimis oculis tuis, cum cerneres Filium tuum coram te ligari, flagellari, & carnem de carne tua tam crudeliter & immaniter dissecari!

Quò, obsecro mi Deus, quò tua descendit humilitas, quò processit pietas, quò tua flagravit charitas? Ego crimen edidi; tu torturæ subjiceris: ego fruor deliciis; tu ad columnam in sanguine natas. Quid est hoc? quid fecisti Rex meus & Deus meus? quid retribuam tibi pro omnibus, quæ tu tribuisti mihi?

Benedicam te Domine millia millium Angelorum. Non hoc satis: Benedicat te, benignissime Jesu, multi-

titudo miserationum tuarum, & amoris tui mellifluі suavissima viscera, in quibus visitasti nos oriens ex alto, in quibus redemisti nos, & lavasti nos à peccatis nostris in sanguine & vulneribus tuis.

*Christus spinis coronatur.*

Vide novam immanitatem satellitum, qui horridam coronam de spinis, & acutissimis juncis marinis capiti jam satis cruentato infigunt, & imponunt.

Considera (ut dicit S. Bernardus) illas spinas, non solum carnem & nervos perforasse, verùm etiam ipsa ossa, necnon ipsum cerebrum penetrasse.

Imaginare, quòd videas sanguinem cerebri humore mistum ex omni parte per capillos & faciem defluere.

Dic ex corde: O Pater, jam istud caput non semel sudavit sanguinem; cur spinis eundem elicit justitia tua?

O sacratæ spinæ parcite, parcite sa-



sacro illi & innocuo capiti; venite potius & vertite aculeum contra me, pungite cor meum puncturis pœnitentiæ, ut si non sanguinem, saltem vel lacrymam possitis è corde duro elicere.

Ulteriùs mente progredere, & vide quomodo velant faciem Domini turpissimâ vitâ, & percutientes faciem & caput ejus alapis, illudunt ei.

Consiste hic parumper, & accuratè perspice factum Pilati, qui rabiem infernalis turbæ volens sedare, Christum totum deformatum, & tam crudeliter dilaniatum ad propyleum jussit duci.

Audi verba Pilati Christum plebi monstrantis: Ecce homo. Converte tu hæc verba Pilati ad Patrem.

O Pater! ecce Homo: ecce Filius tuus dilectus, tam crudeliter dilaniatus: ecce Homo plusquam barbara, plusquam belluinâ Judæorum sævitia tractatus.

O Mater! ecce Homo: vide an hæc non tunica, sed caro Filii tui

sit? verè fera pessima devoravit eum! O Angeli pacis, ò anima Christiana! ecce Homo: sed eheu! jam verè exclamare poteris, quia non novi hominem, nam non est ei species, neque decor.

O peccator! Ecce Homo: ecce caput pro te spinis coronatum: ecce facies pro te sputis & alapis livida: ecce oculi in lacrymis & morte natantes: ecce os & labia mox felle replenda.

*Affectus.*

O Anima mea, non diffluis lacrymis? amore non conflagras? Ecce tuus Homo: en vide novum crudelitatis inventum dolorosissimum: sævissimi laniénæ ministri spineam coronam capiti Salvatoris imponunt, & ipsum penetrant cranium.

Ah dolorosissime Jesu, vivis? natura non succumbit adeo læsa? miraculis opus est, ut graviora pro me patiaris.

Egre-



Egredere nunc filia Syon, egredere ò Virgo Mater, & vide Filium tuum Jesum in diademate, quo coronavit eum improba Synagoga. O Rex mundi, ò gloria cœli, hoc est regnum tuum, in quod natus est?

Ergonè, qui me gloria & honore coronavit, dolore ipsemet & dedecore coronatur? Qui dedit ornamenta aurea capiti meo, servavit tegumenta spinea capiti suo? qui coronat me in misericordia & miserationibus, spinis ipse non renuit coronari? qui mihi repositam habet coronam justitiæ, solam sibi coronam patientiæ reservavit?

O patientissime Jesu! quis tibi animus? quem summa humilitate jussu Patris adorant omnes Angeli, nunc coronatum summo ludibrio adorant milites vilissimi? O quale amantissimi Jesu opprobrium! irrident, insultant, blasphemant, alapas ingeminant.

O mi Creator, ò mi Redemptor, quantum tibi debeo! ò si An-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

gelorum linguas haberem, quibus misericordias tuas in æternum concinerem! ò si nunquam è memoria mea excideret amor tuus! ò si die noctuque clamare possem cum omni creatura, quæ in cœlo est & in terra: Sanctus, Sanctus Dominus Deus!

*Christus crucem bajulat.*

INspice cum lacrymis, quomodo humeris mitissimi Agni enervatis & confractis imponunt ponderosam illam crucis molem, cæteris omnibus hoc lignum ferre recusantibus. Eheu! quid facies bone Jesu, quia viribus es destitutus?

Cogita tecum, quis unquam vidit reum ferre crucem suam & patibulum, cui affigendus? contra commune jus gentium est; portare tamen innocentissimus Jesus cogitur.

Contemplare Dominum crucem bajulantem. Quam illa inhumaniter, ò Jesu, corrodit & conquassat humeros tuos, quàm profundè car-


carni usque ad ossa infigitur! Quid ultra facies mi Jesu?

Perge tamen, perge mi Redemptor, constanter progredere: erige te, mi Jesu, novas assume vires, deducat te Pater tuus cælestis & confortet, stipent latus tuum Angelici Spiritus, & solentur.

Proficiscere mi bone Viator, proficiscere ut nos redimas, peccata nostra te ligarunt, & in miserias has adduxerunt.

Considera, quoties ob nimiam lassitudinem, & carnificum furiam, sub crucis pondere Christus corruit; quoties nefarii satellites è vestigio in eum insiliunt, capillis trahunt, calcibus protrudunt, à tergo lapidibus impetunt.

O prodigium! en cadit Verbum Dei secus viam, & conculcatur ab hominibus. En cadit, per quem cuncti stant; infirmatur, per quem omnes roborantur; in terra Deus jacet, per quem homines eriguntur in cœlum.

Intuere, ut occurrit & mæsta



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Mater in montem Calvariæ eunti Filio. Quo pergis, ò Virgo Mater, inter militum armatorum catervas? Ergonè dilectum Filium tuum extremo supplicio affici conspicies?

Meditare nunc, quo cum ardore, quibus lacrymis invicem sese complexi sunt. Quoties ingemuisse putas tunc mæstam Matrem lugendo Filium, & dixisse: Fili mi Jesu, Jesu Fili mi, quis mihi det, ut tecum & pro te moriar, Fili mi dulcis Jesu?

Contemplare, cum qua rabie canes illi inhumano quodam impulsu in properantes ei, Matrem à Filio repellunt, & eum semimortuum protrudunt.

Vide, ò homo, quomodo patiuntur, & lacrymis diffluunt pro te Jesus & Maria: cur ergo tu ferreum cor non commoveris? cur non fles pro te ipso?





### *Affectus.*

Tuus, ò Domine, ingressus in mundum, & egressus è mundo, quàm dispar est! cantantibus Angelis ingressus es; Angelis pacis amare flentibus egressus es. Ingredientem te Virgo Mater utero, brachiisque portavit; egredienti tibi gravis crux, ingens illud & infame tormentum, portanda imponitur.

O potentia æterni Patris, quam imbecillis facta es! ò virtus mundi, quàm infirma effecta es! ò sustentator universæ terræ, quàm infra omnia abjectus es!

Tu æthera firmasti sursum, & nemo te confirmat; tu appendisti fundamenta terræ, & nemo te sustentat; tu, cum ceciderit è nobis aliquis, supponis manum tuam: tibi, postquam tam dirè collapsus, imò collisus es, nemo ex omnibus adhibet in auxilium ultimum manum suam.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Quis ergo mihi nunc dabit aquas, ut plangam in amaritudine animæ meæ Jesum meum sanguine decoloratum, sputis fœdatum, post sanguineum sudorem, post dura vincula, post crudelem flagellationem, post horridam coronationem, crucifigendum?

O Angeli, ò creaturæ omnes lugentes currite, quia ecce Filius Dei in extremis est. Ecce mundi salus extinguitur. Ecce Salvator noster ad atrocia tormenta, ad vestium spoliationem, ad vulnerum innovationem, ad fellis potum, ad acerbissimam fossis manibus pedibusque lanienam, ad infame suspendium, ad novos gemitus, ad clamorem validum & lacrymas, & amarissimam mortem pergit.

*Christus crucifigitur.*

Subsiste jam cum Christo in monte Calvariæ, & diligenter inspice, quomodo carnifices detrahant cum immani violentia vestes Chris-



Christi, vulneribus ob sanguinem concretum adhærentes.

Intuere Christum præ summo frigore, toto corpore trementem, cum nudus vento & aeri asperrimæ hyemis tempore exponatur.

Cogita, quàm ingens confusio ejus fuit, cum videret se nudatum in præsentia tantæ multitudinis consistere.

Deinceps animo finge te coram intueri carnifices immanissimè Christum in terram substernentes, & Agnum mitissimum manus & pedes extendentem, ut clavis crucifigerentur.

Erigitur demum Crux, & si quæsisti sæpe, ò anima Christiana, à Domino tuo Jesu, & dixisti: Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascat, ubi cubet in meridie? Ecce cubat in monte Calvariæ, medius inter latrones, nudus, lividus, cruentatus, extensus in duro lecto crucis.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

*Affectus.*

O Spectaculum luctuosissimum! Deus suspenditur: Deus occiditur: Laxentur ingemitus ora, mergantur oculi nostri lacrymarum pelago.

Aspice nunc, ò Pater, caput Filii tui; intuere cervicem, olim instar nivis candidissimam, nunc inclinatam & exanguem.

Defige oculos, ò mæsta Mater, in faciem dilecti Filii tui, & in membra Christi tui: vide quàm obscurata sit pulchritudo oculorum, quantùm palleat color regii vultus.

O Deus, ò Jesu mi! adoro te in hoc throno doloris & ignominiæ. O si mihi liceret per te, ut sacram tuorum pedum aram millies exosculer, manentemque inde cruorem lacrymarum imbre diluam!

O anima mea, dic saltem à longè ultimum vale Salvatori tuo. Vale ergo mi Redemptor: Vale, ò Frater amabilis nimis: Vale ò Sponse



se animarum nostrarum. Sed priùs ante discessum da benedictionem, da Frater amplexum. Da crucifixoribus tuis orationis affectum, latroni paradisum, matri filium, filio matrem, mortuis vitam, toti mundo sanguinem tuum.

*Christus clamans voce magna expirat.*

INtuere anima mea, quia jam tandem exacto tormentorum itinere, sese durissimum in lectum fessus Viator quieturus reponit: & audi quid loquatur ad te de lectulo crucis.

Audio, clamat Jesus, Pater ignosce illis. Quid est hoc? Jesus flagellis cæsus est, spinis coronatus, affixus patibulo, omnium tamen dolorum immemor ait, ignosce illis. O amor ineffabilis! is, qui hactenus in propria causa tacuit, nunc causâ inimicorum disertus est.

Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me? Derelictus es, mi Jesu, sed

sed propter me; quia ego sæpius dereliqui Deum meum, fontem aquæ vivæ, & recessi à Deo salutari meo.

Sitio clamas, mi Jesu. Attendite animæ quantùm diligat vos: tot dolores perpessus Jesus propter vos, adhuc tamen dolores propter vos sitit; sitit sanguinem effundere, quem adhuc celavit in corde.

Ecce Mater tua. Breve testamentum, parvum peculium facilè dispensatur. Nihil sibi ex suo restabat præter Matrem, & hanc tradidit discipulo.

Ecce Filius tuus. Filium effici Virginis, quid dulcius? Matrem habere Mariam, quid securius? O Mater non dedignare nos filios, quoniam Deus non est dedignatus te Matrem.

Consummatum est. Quid consummatum est, Domine Jesu? dolores tui, passio tua, charitas tua? ita sanè. Omnia transierunt, consummata sunt, perfecta sunt, præcipuè autem charitas tua, quâ, cùm dilexisses nos, usque in finem dilexisti.

In



In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. O si & meum, mi dulcis Jesu, in agone egredientem de corpore spiritum in manus tuas susciperes!

Et inclinato capite emisit spiritum. Ergonè meus Jesus clamans voce magna, inclinato capite, ut mihi amplexum, mihi det osculum reconciliationis; inclinato capite, ut mihi dicat ad aurem cordis mei: Morior, & libenter morior amore tui; inclinato capite, ut inspirat in faciem meam spiraculum vitæ; inclinato capite tradidit spiritum?

*Affectus.*

O Anima mea! tradidit pro me Jesus spiritum & ego spiro? Verbum æternum pro me siluit, & ego loquor? Deus meus pro me mortuus est, & ego vivo?

O Jesu pro me crucifixe! quantorum ego tibi dolorum causa fui! verè languores meos tulisti, bone Jesu, & dolores meos portasti. O

Jesu,

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Jesu, ò Amor, ò ardentissima charitas! utinam amore tui mori possem, & tibi vivere.

*Admonitio.*

REvoca tibi, Viator, in memoriam illa verba amoris plena Christi Domini ad S. Gertrudem prolata: Vide quomodo crucifixus sum amore tui, quomodo pendeo nudus, despectus, toto corpore vulneratus per singula membra distentus: & adhuc ità te amo, ut si aliter salutem consequi non posses vellem iterum mori pro te: & si fieri posset, ut toties morerer, quot sunt animæ in inferno, ego promptissima voluntate corpus meum traderem, eamdemque passionem pro qualibet anima sustinerem, quam sustinui pro omnibus.

Cogita nunc, atque delibera quid tu illi debeas: erubesce, & confundere, quòd illi compati & crucem tuam tollere nolis.

Pra-



*Oratio ad quinque vulnera Christi.*

SAlve vulnus benedictum dexteræ manus Domini mei Jesu Christi crucifixi pro me, & omnium hominum salute. Protegat me Domine, & deducat dextera tua; ut cum sæculum judicaturus veneris, ad dexteram tuam constitutus audire merear cum electis: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum vobis paratum à constitutione mundi. Amen.

Salve beatificum vulnus sinistræ manus Salvatoris mei Jesu Christi pretiosissimo ejus sanguine purpuratum. Comprime vires hostium qui quærunt animam meam. Dic animæ meæ, salus tua ego sum; ut de manu inimicorum meorum liberatus, serviam tibi omnibus diebus vitæ meæ. Amen.

Salve gratiosum vulnus dextri pedis Domini mei Jesu Christi, sangui-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

guine immaculato conspersum. Perfice, Domine, pedes meos, ut per viam mandatorum tuorum incedam: dirige gressus meos in virtutem, & lucerna pedibus meis sit verbum tuum, & lumen semitis meis; ut etiam proximis lucis exempla præbeam, quatenus tu Deus meus in omnibus, & ante omnia glorificeris nunc & in æternum. Amen.

Salve venerabile vulnus sinistri pedis Christi sanguine madefactum. Evelle, Domine, pedes meos à laqueo, quem statuerunt mihi inimici mei. Non veniat mihi pes superbiæ, sed in simplicitate cordis mei incedam coram te omni tempore. Edoce me vias tuas, ut sciam quid acceptum sit coram te, & opere compleam universa, quæ præcipisti mihi. Amen.

Salve vulnus saluberrimum cordis Jesu Christi crudeli cuspide inflictum, è quo sanguis & aqua copiosè emanarunt in ablutionem peccatorum nostrorum. Munda me, Deus,



Deus, purissimo hoc sanguine, & aqua salutari, ut ab omni labe emundatus, & Deum Salvatorem meum, quem soli mundo corde videbunt, in omni æternitate valeam contemplari. Amen.

Passio Domini nostri Jesu Christi sit semper in cordibus nostris.

## PII AFFECTUS.

### *Ex vita Jesu Christi.*

Domine Jesu Christe, concede mihi misero peccatori vitam, & mores tuos præ oculis mentis semper habere, & pro viribus imitari.

O charitas infinita, ò admiranda dignatio tua, Domine! ut servum redimeres, Filium tradidisti.

Salve dies tot ætatibus optata, qua Deus pro nobis factus est homo. Salve Gabriel Archangele tanti gaudii annuntiator. Salve Virgo gloriosa, in cujus castissimo utero carnem assumpsit Deus. Chris-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Christe Salvator, qui adhuc clausus maternis visceribus ad Præcursorem sanctificandum properasti, da mihi peccatorum veniam, & spiritualem in tuo obsequio lætitiam.

Jesu amabilissime, qui pro me in stabulo nasci voluisti, illumina mentem meam, & voluntatem, ut Nativitatem tuam contemplari valeam, & elucentes in ea virtutes imitari.

Laudo te, Redemptor mundi, pro prima sanguinis tui in tenerrima ætate effusione, cùm tua caro immaculata pœnam circumcisionis, quam nos meruimus, sustinuit.

Benedico te, sanctissime Redemptor, qui voluisti in templo præsentari, & ut nobis veræ obedientiæ exemplum relinqueres, te legalibus institutis, tanquam unus de populo subdidisti. Da mihi in omnibus perfectam obedientiam, & voluntatis meæ abnegationem.

Da mihi, bone Jesu, radium aliquem illius lucis, quem sancto seni Simeoni tribuisti, cùm te infantem



tem in ulnas suas suscepit, ut te agnoscam & amem, sicut ille te novit & amavit.

Nihil scimus de te, ò Sapientia incarnata, usque ad annum duodecimum ætatis tuæ, & multa scimus: ipsa enim taciturnitas tua clamat in cordibus nostris, ut silentium tuum, & humilitatem admiremur & imitemur.

Congratulor tibi, beatissima Virgo, quod dilectissimum Filium tuum inveneris in Templo in medio Doctorum sedentem, prudenter interrogantem, & modestè respondentem: ora pro me, ne unquam illum amittam, aut ab eo discedam.

Domine Jesu, fons bonitatis, & origo virtutum, qui à baptismo Joannis prædicationem tuam auspicatus es: quid tibi & baptismo isti, cùm sis innocentissimus? O humilitas Christi, quantùm confundis superbiam, & vanitatem meam!

Imple me Domine, Spiritu sancto, ut eo inspirante, sequar te in desertum, & secedam ab hominibus,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

bus, orationi, jejunio, & pœnitentiæ incumbens.

Confiteor tibi Pater, quia Redemptionis nostræ mysteria abscondisti à sapientibus, & prudentibus hujus sæculi, & parvulis piscatoribus revelasti, ut mundi sapientiam destrueres; fac me parvulum in oculis meis, ut magnus fiant in tuis.

Salvator potentissime, qui tot miracula verbo virtutis tuæ patrare dignatus es; innova signa & mirabilia, & animæ meæ languores sana, eamque resuscita à morte vitiorum.

Dulcis Jesu, qui tanto fervore & festinatione in Jerusalem ascendisti, ut durissimam mortem pro me paterreris; fac me alacrem & ferventem ad omnia quæcunque volueris pro te sustinenda.

Salvator mundi, qui à perdito discipulo venditus fuisti; ne quæso permittas, ut pro vili pretio rerum terrenarum te summum bonum meum vendam, & derelinquam.

Humilissime Jesu, qui servili obse-



sequio lavasti pedes discipulorum tuorum, lava me ab iniquitate mea, & à spiritu superbiæ libera me.

O dilecte cordis mei, qui, imminente passione tua, perpetui amoris tui pignus immensum reliquisti nobis, corpus tuum scilicet in cibum, & sanguinem in potum: præpara me ad hoc convivium, & orna animam meam virtutibus.

Laudo & glorifico te, mitissime Jesu, pro tua ineffabili mansuetudine, quam ostendisti à perfido discipulo osculo traditus, ab impiis comprehensus, per diversa tribunalia crudeliter tractus, nequissimo latrone nocentior proclamatus, ad columnam ligatus, & flagellatus, spineâ corona coronatus, & ab iniquo judice morte turpissima damnatus: respice animam meam, & fac me habere spiritum lenitatis, & mansuetudinis erga proximum meum.

Proficiscere, bone Jesu, ligno crucis onustus, sed multò magis amoris pondere pressus; & qui dolo-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

lore tuo nos parcis, parce peccatis meis.

Amantissime Jesu, qui tam inhumaniter in Cruce extendi & crucifigi voluisti; præsta, ut clavis timoris tui cruci tuæ perpetuò affixus maneam.

Jesu vita morientium, qui cum jam mortuus esses pro nobis, latus tuum lanceâ aperiri voluisti, ut accedentibus ad te facilis pateret aditus ad cor; admitte me in latus tuum, ut in eo sit requies mea in sæculum sæculi.

Gratias tibi ago, Salvator mundi, quia opus Redemptionis nostræ perfectissimè peregisti; perfice & in me opus quod incœpisti, ut plena in me & consummata justitia reperiatur.

O Triumphator gloriosissime, fac me participem passionis tuæ, ut sim etiam resurrectionis: tecum moriar, ut tecum resurgam, & tecum tandem ascendam in cœlum.

Rex sempiterne, qui sedes ad dexteram Patris, trahe me post te; ut



illic semper fixum sit cor meum, ubi tu es thesaurus meus, & gloria mea, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

## CAPUT VI.

### Aspirationes Viatoris pro ſelici morte ad Christum.

NON intres in judicium cum servo tuo Domine Jesu, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Ne memineris, bone Jesu, iniquitatum mearum: citò anticipent me misericordiæ tuæ, quia pauper factus sum nimis.

Ne tradas, Domine Jesu, bestiis animam confitentem tibi: & animam pauperis tui ne obliviscaris in finem.

Illumina, mansuetissime Jesu, oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, prævalui adversus eum.

Tuus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

lore tuo nos parcis, parce peccatis meis.

Amantissime Jesu, qui tam inhumaniter in Cruce extendi & crucifigi voluisti: præsta, ut clavis timoris tui cruci tuæ perpetuò affixus maneam.

Jesu vita morientium, qui cum jam mortuus esses pro nobis, latus tuum lanceâ aperiri voluisti, ut accedentibus ad te facilis pateret aditus ad cor; admitte me in latus tuum, ut in eo sit requies mea in sæculum sæculi.

Gratias tibi ago, Salvator mundi, quia opus Redemptionis nostræ perfectissimè peregisti: perfice & in me opus quod incœpisti, ut plena in me & consummata justitia reperiatur.

O Triumphator gloriosissime, fac me participem passionis tuæ, ut sim etiam resurrectionis: tecum moriar, ut tecum resurgam, & tecum tandem ascendam in cœlum.

Rex sempiterne, qui sedes ad dexteram Patris, trahe me post te; ut



ut illic semper fixum sit cor meum, ubi tu es thesaurus meus, & gloria mea, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

## CAPUT VI.

### Aspirationes Viatoris pro felici morte ad Christum.

NON intres in judicium cum servo tuo Domine Jesu, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Ne memineris, bone Jesu, iniquitatum mearum: citò anticipent me misericordiæ tuæ, quia pauper factus sum nimis.

Ne tradas, Domine Jesu, bestiis animam confitentem tibi: & animam pauperis tui ne obliviscaris in finem.

Illumina, mansuetissime Jesu, oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, prævalui adversus eum.

Tuus

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Tuus sum ego, salvum me fac Domine, & ne perdas cum impiis, Deus, animam meam.

Salvum fac servum tuum, Domine Deus, sperantem in te.

O Jesu, esto mihi Jesus, & salva me. Jube me venire ad te, ut cum Sanctis tuis laudem te, & in æternum fruar te.

O mi dulcis Jesu, quando corpus meum morietur, fac ut animæ donetur paradisi gloria.

In te Domine Jesu, speravi; non confundar in æternum.

### *Affectus ad Jesum agonizantem.*

JEsu agonizans, & in cruce moriens pro me, immitte, quæso, Spiritum tuum in cor meum, illoque animam meam vivifica; quoniam tuo solo spiritu vivere volo, tam in hujus præsentis vitæ meæ tempore, quàm in mortis meæ articulo.

Jesu in Cruce agonizans, & moriens pro me, per hunc agonem tuum,



tuum, & per spiritum, quem in manus Patris æterni commendasti, obtestor te, ut instans mortis tuæ infuat in mortis meæ instans, illudque in conspectu SS. Trinitatis gratum, atque pretiosum reddat.

Jesu agonizans, & moriens in Cruce pro me, ibidemque orans pro crucifixoribus tuis Patrem, obsecro, ut ores quoque eundem pro me crucifixore tuo, impetresque mihi mortem sanctam, & charitate perfecta consummatam.

Jesu agonizans, & moriens in Cruce pro me, stillantem amore mei sanguinem tuum colligo, & lambo devotus; optans simul ac petens à te, ut in hora mortis meæ adesse mihi præsens cum gloriosa Matre tua, Sanctisque tuis digneris, adnumeresque me electis tuis, & in agonis meæ momento secundùm magnam misericordiam, copiosamque redemptionem tuam miserearis mei.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

### *Quidam Religiosus, ut refert Cæsarius, impetravit sibi gratiam ex hac vita migrandi sine purgatorio ad Cœlum hac oratione.*

Domine Jesu Christe, propter illam amaritudinem mortis, quam pro me miserrimo peccatore sustinuisti in Cruce, maxime in illa hora, quando nobilissima anima tua egressa est de corpore tuo sanctissimo, deprecor te, miserere animæ meæ in egressu suo, & perduc eam in vitam æternam. Amen.

*Ad Beatissimam Virginem.*

Mater Dei, memento mei nunc & in hora mortis.

Adsis mihi Domina, in omnibus actionibus meis, nec me deseras in hora mortis.

O Sanctissima Virgo, per pre-



tiosissimam mortem tuam, & illos actus amoris Dei, quos tunc elicuisti: per omnem misericordiam, qua ulli succurristi, memento mei nunc & tunc. Gere curam mei finis, ut tua defensione munitus ingrediar beatam æternitatem. Experiar te Matrem pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei.

Per te accepi gratias, pia Mater, per tuas etiam manus commendo & offero spiritum meum Deo meo; ut illum videam & amem in æternum.

O Jesu, rogo te per Mariam: O Maria, rogo te per Jesum: ô Jesu & Maria, rogo vos per SS. Trinitatem: o SS. Trinitas, rogo te per amorem quo te amas, miserere mei: ut felix moriar ad majorem tuam gloriam & amorem, ut vos amem in æternum.



ALERE FLAMMAM VERITATIS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

## *Ad SS. Angelos , & omnes Sanctos.*

SUccurrite, subvenite, ò vos omnes beatissimi Spiritus, Sancti Angeli Dei, & cum in extremis vestram opem non ampliùs implorare potero, ne me deserite.

Sancte Angele custos defende me in hoc prælio, ut non periam in tremendo judicio.

Sancti Dei omnes, intercedere dignemini pro animæ meæ salute.

Moriatur anima mea morte Justorum, sed vivat priùs vitâ Justorum. Amen.





# HOMAGIA

## In vita & morte Deo præstanda.

### *Reddite quæ sunt Dei Deo.* Matth. 22.

AGnosco te, ò mi Deus, ut supremum Dominum meum, primum principium, & ultimum finem meum, authorem naturæ, gratiæ, & gloriæ: & profundissima cum humilitate te adoro Dominum vitæ & mortis, tibique sponte sacrifico vitam meam.

Credo te, mi Deus, unum in essentia & Trinum in personis, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Credo, teneo, ac profiteor fidem illam, quam Christus docuit, quam prædicaverunt Apostoli, quam Sancta Romana Dei Ecclesia docet ac profitetur, & sin-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

gulos catholicæ Fidei articulos paratus sum sanguine meo subsignare, & morte mea confirmare.

Spero, misericors Domine, per sanguinem & merita Jesu Christi, ab infinita bonitate tua, ac clementia remissionem peccatorum, quibus te summum bonum meum gravissimè offendi. Spero firmissimè me à paterna liberalitate tua obtenturum gratiam copiosam, & gloriam sempiternam.

Amo te, amabilissime Deus, ex toto corde meo, super omnia, propter infinitam bonitatem tuam. Vellem, si possem, amare te illo amore, quo te amant omnes Sancti. Fac ut in æternum amem te in regno amoris & beatitudinis.

Gratulor tibi de te. Gaudeo de infinita gloria tua. Gaudeo de divinitatis tuæ thesauris infinitis. Utinam cum electis & Sanctis tuis possem amare ac laudare te, gaudere de te, & gratulari tibi.

Doleo, doleo, doleo, quòd unquam ullo modo te maximum, dulcis-



cissimum, optimam Deum meum offenderim. Doleo, non propter infernum, vel purgatorium, quæ tamen credo & timeo. Doleo, non propter cælestem gloriam, quam tamen credo & spero: sed doleo propter te, optime super omnia, pulcherrime super pulchra omnia, dignissime super omnia Deus.

Detestor omnes cogitationes præsumptuosas, quas spiritus malignus in mortis meæ articulo posset inspirare, humiliterque confiteor, me non posse habere ex me ipso nisi nihilum, nisi peccatum, nisi damnationem æternam. Ac proinde, Domine Deus, te solum & unicum authorem salutis & felicitatis meæ agnosco.

Pro omnibus & singulis beneficiis tuis mihi quomodocumque in tota vita mea, & ante vitam præstitis, & post vitam præstandis, gratias ago tibi, mi Deus, quantas possum, & quantas omnes Sancti obtulerunt & offerent. Deinde ago, tibi gratias pro omnibus proximo-

 rum,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

rum, atque adeò creaturarum omnium bonis.

Nolo quicquid non vis, ò Deus meus: volo quicquid vis. Doleo quòd fuerit tempus, in quo nolui quæ volebas, & volui quæ nolebas.

Spiritum meum non alibi, quàm in suavissima tua voluntate, Jesu Christi latere, pretiosissimæ Parentis meæ manibus, Ecclesiæ Romanæ Catholicæ fide emittere, atque deponere exeuntem ex hoc corpore volo, atque cupio.

Non merui quidem te, mi Deus, videre beatificè, nec merebor in æternum: cupio tamen æstuantissimis desideriis videre te, quia tu me ad hunc finem condidisti, sanguine Filii tui redemisti, gratiam largiris, & merendi per Christi sanguinem facultatem.

De-



# Desiderium bonæ Mortis.

*Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Rom. 7. 24.

Opto mori: quia mortalis sum natura mea, & Dei Creatoris mei sic factus sum voluntate; fiat ergo voluntas ejus.

Opto mori: in testimonium & protestationem, tum supremæ potestatis, dominiique in me divini, tum totalis meæ rerumque omnium à Deo dependentiæ.

Opto mori: ut primi originalis peccati pœnam, etiam mihi justo judicio Dei inflictam, exolvam morte, tandemque illud finaliter expiem.

Opto mori: ut sim extra periculum omne peccandi, vel in minimo contra dignitatem, majestatem, sanctitatem, bonitatem Dei mei.

Opto mori: ut sequar exem-



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

plùm pretiosissimæ Dei Matris Mariæ Dominæ meæ : quæ carens aliqui moriendi debito, mori tamen voluit & ipsa, ut sua morte mortem Filii honoraret.

Opto mori : ut in articulo mortis meæ omnes Dei mei voluntates circa me absolutissimè impleantur.

Opto mori : ut citiùs finem ultimum ad quem creatus sum assequar.

Opto mori : ex desiderio quamprimùm accedendi ad Sanctos, eosque videndi cum pretiosissima Dei Matre : Verbi quoque incarnati sacratissimam humanitatem : præ omnibus autem Trini & Unius Dei essentiam ; ut mediante morte mea, tandem Deo æternaliter ac beatificè conjungat in gloria consummata.

Opto mori : ne amplius exosâ vita mea alios scandalizem.

Opto mori : ut in Ecclesia sepultus, nunquam ampliùs avellar & recedam à præsentia augustissimi Sacramenti.

Op-



Opto mori : ut finaliter de thesauro Ecclesiæ, Sanctorumque communione participem.

### *Aspirationes Morientis.*

Pater, in manus tuas commendo spiritum meum *Psal.* 30.

Cupio dissolvi, & esse cum Christo. Infelix ego ! quis me libarabit de corpore mortis hujus ? *Rom.* 7. 24.

Educ de custodia animam meam, Domine, ad confitendum nomini tuo: me expectant justi, donec retribuas mihi. *Psal.* 141.

Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. *Psal.* 121.

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum tibi, & ad te. *Psal.* 56.

Ecce sponsus venit, exeamus obviam ei. *Mat.* 25.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, ô Deus. *Psal.* 41.

Si-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem Domini! *Psal.* 41.

Misericordias Domini in æternum cantabo. *Psal.* 88.

Adjuro vos filiæ Jerusalem, ut nuntietis dilecto meo, quia amore langueo. *Cant.*

Tædet animam meam vitæ meæ, quia non video Deum Deorum in Syon.

O quando vacabimus & videbimus, videbimus & amabimus, amabimus & laudabimus! ò quando erit finis sine fine! *S. August.*

O fons vitæ perennis, quando sitim meam extingues in me! ò beata æternitas, & æterna beatitudo quando perennabo in te!

Jesu & Maria dulcissimi mei amores, patiar ego, moriar ego amore vestri: totus sim vester in æternum.

Æterna Sapientia dulcissime Jesu, absorveat, quæso, medullas & viscera animæ meæ ignita & melli-

li-



liflua vis amoris tui, ut amore amoris tui moriar, qui dignatus es pro me indigno in ligno Crucis mori. S. *August.*

Jesu nostra redemptio, amor & desiderium, Deus creator omnium, Homo in fine temporum. Quæ te vicit clementia, ut ferres nostra crimina? *Hymn. Eccl.*

Desidero te millies, mi Jesu, quando venies? me lætum quando facies? me de te quando sacies. *S. Bernardus.*

Mori desidero, ut videam Christum; vivere renuo, ut vivam cum Christo. *S. Aug.*

Eja Domine, moriar, ut te videam; videam ut hic moriar. *Ibidem.*

Veni Domine, & noli tardare: veni Domine Jesu, & visita me in pace. Veni & educ vinctum de carcere, &c.

Sus-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

### *Suspiria coram Christi crucifixi effigie.*

AGnosce, ò Domine, creaturam tuam non à diis alienis creatam, sed à te solo Deo vivo & vero. Ne me perdat, Domine, iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua.

Respice, Domine sancte Pater, de excelso cœlorum habitaculo. Ecce vox sanguinis fratris nostri pro nobis clamat ad te de Cruce. Audi Pater vocem sanguinis Filii tui.

Respice, pie Pater, innocentes manus Filii tui, quæ distillant pretiosum sanguinem, ut dimittas iniquitatem meam. Intuere illud lanceâ perfossum pectus, & amore mei apertum cor, meque ex sacro illo fonte renova. Defige oculos, ò Pater cœlestis, in faciem hanc dilecti Filii tui, & in membra conquassata Christi tui, & per miserias, quas ille amore mei sustinuit, miserere mei.





Eja dulcissime Redemptor Domine Jesu, per illas lacrymabiles voces, quas in Cruce moriturus edidisti: Deus Deus meus, quare me dereliquisti? ne quæso, derelinquas me in hora mortis meæ.

En suavissime Jesu in manibus, in pedibus, & in toto corpore descripsisti me. Cernitur in toto corpore sculptus amor: lege scripturam tuam hanc, & salva me.

Respice in me oculis misericordiæ tuæ, Domine Jesu, Rex æterne, Deus & homo crucifixus propter hominem. Exaudi me sperantem in te: miserere mei pleni miseriis & peccatis, tu qui fontem miserationis nunquam manare cessabis.

Recordare, Domine, creaturæ tuæ, quam tuo sanguine redemisti. Illa ovis amissa ad Pastorem meum redeo. Vocem tuam novi, non alienorum. Potestne vocem spernere balantis oviculæ tuæ, & fugientis ad te?

Scio equidem me conspectum



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tuum non mereri: quia dum vitam meam considero, confusio est mihi potiùs appellanda, quam vita. Sed in spiritu humilitatis, & in animo contrito suscipe me, ò bone Jesu, salus & vita mea. Suscipe me secundùm magnam misericordiam tuam, & non confundas me ab expectatione mea. Aperi mihi properanti januam vitæ, & principes tenebrarum non occurrant mihi. Tua me manus inducat in locum refrigerii, & vel in ultimam mansionem ex iis, quas parasti servis tuis timentibus te.

*Orationes pro omnibus Christi fidelibus ubicumque agonizantibus.*

O Jesu Crucifixe, per merita SS. Genitricis tuæ, per merita & intercessionem SS. Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & Viduarum, itemque dilectæ Sponsæ tuæ

tuæ

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



tuæ Ecclesiæ, te supplices exoramus, ut miserearis omnium illorum, qui in hora mortis constituti turbantur, & propter vehementiam hostilis impetus vacillant.

℣. Ne tradas Domine bestiis animas confitentes tibi.

℞. Et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

*Oremus.*

Clementissime Jesu, invocamus clementiam tuam, per charitatem illam infinitam, quæ te ad moriendum pro genere humano impulit, ut miserearis omnium agonizantium, & iis condones excessus commissos cogitatione, verbo, & opere; & ut suppleas quod in eis desideratur, applica illis infinita merita tuæ passionis, & pretium sanguinis tui, quem pro nobis effudisti.

Assistat illis S. Michael Archangelus, & per manus SS. Angelorum deportentur ad paradisum tuorum

rum

rum Electorum: ut liberati de principe tenebrarum, & abysso pœnarum, in consortium veniant Sanctorum tuorum resuscitati cum gloria, ut filii & hæredes regni tui. Amen.

## CONCLUDO

## Melliflui Doctoris S. Bernardi verbis.

*Dignus est morte, qui tibi Domine Jesu recusat vivere (adesque te laudare, te glorificare) & mortuus est. Propter temetipsum Deus fecisti omnia, & qui vult esse sibi, & non tibi nihil esse incipit inter omnia.*

A. M. D. G.

F I N I S.





## EX SANCTO ANSELMO Archiepiscopo Cantuariense.

## *AD S. P. BENEDICTUM.*

### *LACRYMÆ POENITENTIS Monachi.*

SAncte & beate Benedicte, quem tam opulenta benedictione virtutum superna gratia ditavit, ut non solùm te ad desideratam gloriam, ad beatam requiem, ad cœlestem sedem sublimaret, sed & alios innumerabiles ad eamdem beatitudinem tua admirabilis vita attraheret, dulcis admonitio incitaret, suavis doctrina instrueret, miracula provocarent? ad te inquam, Benedicte Dei, quem benedictione tam larga benedixit Deus, ad te, confugiens angustiosa anima mea, tibi se prosternit, quàm humili mente potest; tibi fundit preces, quanto



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

to affectu potest, tuum auxilium implorat, quanto desiderio potest.

Nimis enim est immanis, & intolerabilis ejus necessitas: vitam namque sanctæ conversationis, quam promisi, nomine & habitu Monachi profiteor; sed ab hac vita longè exulando, mentiri Deo, & Angelis, & hominibus ipsâ meâ conscientiâ convincor. Adesto, pie Pater adesto supplicanti. Rogo, ne abhorreas tam mendosum, & tam mendacem; sed attende confitentem, & plusquam merear miserare dolentem.

Utique, ô præclare Dux inter magnos Duces exercituum Christi, tuo me addixi ducatui, quamvis imbecillem militem. Tuo me subdidi magisterio, licèt ignavum discipulum. Secundùm tuam Regulam devovi me vivere, quanquam carnalem monachum. Perversum namque cor meum ad perpetrata peccata ploranda lapideum est, & aridum; ad resistendum verò instantibus est molle, & luteum.

De-



Depravata mens mea ad inutilia, & noxia perpetranda, velox est, & infatigabilis; ad vel cogitanda salubria, fastidiosa & immobilis. Obcœcata & distorta anima mea ad præcipitandum & volutandum se in vitiis facilis est, & prompta, ad saltem reminiscendum virtutes, difficilis, & pigra.

Longum est nimis, Charissime Pater, commemorare singula. Nimis, inquam, longum est enumerare gastrimargiam, somnolentiam, levitatem, impatientiam, cenodoxiam, detractionem, inobedientiam, & cœtera vitia, quibus facta est infelix anima mea quotidianum ludibrium, quæ modò sibi vicissim trahunt, & distrahunt ad illudendum hunc ærumnosum, & quasi pannosum homunculum; modò eidem cum turba insultant conculcando, & conculcant insultando.

Ecce, Beate Benedicte, quàm strenue pugnat hic miles Christi sub tuo ducatu: ecce quam efficaciter proficit hic tuus discipulus in tua schola:

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

la: ecce bonum Monachum, qui sic mortificatis vitiis, & voluptatibus carnis, sic fervet, & vivit solis virtutibus; imò cui sic turba dominatur vitiorum, premit moles peccatorum. Proh pudor!

O impudens Monache! qua fronte audes dici miles Christi, discipulus Sancti Benedicti? False professor, qua impudentia potes pati videri in te tonsuram, & vestem professionis, cujus non habes vitam? Heu dolor! O angustiæ, quæ mihi sunt undique! Si enim summum Regem meum, & bonum Magistrum meum, & professionem facto nego, mors mihi est: si autem eorum militem, & discipulum & Monachum me profiteor; cum vita me arguat mendacii, judicium mihi est.

Anxiatur in me spiritus meus, turbatur in me cor meum. Erumpe & clama anima mea: Jesu, bone Domine, vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte universa delicta mea. Adjutor meus esto, Domine, ne derelinquas me, neque despicias me; sed doce & adjuva me facere voluntatem tuam, ut vita mea testetur, quod cor, & os libenter confitentur.



Intende voci orationis meæ, Rex meus, & Deus meus, per merita, & intercessionem pii Benedicti dilecti tui, ducis mei, & magistri mei. O tu mi bone Dux, ò suavis Magister, ò dulcis Pater Benedicte, oro, & obsecro per misericordiam, quam erga alios habuisti, & per illam, quam erga te Deus habuit, compatere miseriæ meæ: qui congratulor felicitati tuæ.

Succurre te patronum clamanti, exonera mole peccatorum obrutum, solve delictorum funibus ligatum, expedi criminibus irretitum, erige jacentem, sustine nutantem, instrue spiritualibus armis, id est virtutibus inermem, doce & protege pugnantem, expugna impugnantes; erige mihi victoriam, & perduc me ad coronam.

Age, advocate Monachorum, per charitatem, qua solicitus fuisti quomo-

modo vivere debemus; esto solicitus, ut sufficienter velimus, & efficaciter possimus vivere, quemadmodum debemus; ut & tu de nostro discipulatu, & nos de tuo magisterio gloriemur coram Deo, qui vivit, & regnat per omnia sæcula sæculorum.

Amen.

ALERE FLAMMAM VERITATIS
UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

E NUEV
BLIOTEC